

DE FEVDIS  
LIBER SINGVLARIS  
A BARTHOLOMÆO BARATERIO  
MEDOLANI ET FERRARIÆ DV-  
CVM CONSILIARIO ANTE  
CLX. ANNOS EX OMNI  
VETERE FEVDORVM  
IVRE DIGESTVS.

*Nunc primum editus*

EX BIBLIOTHECA REGIA.

H



AC

Lutetiae Parisiorum.

Apud ADRIANVM BEYS via Iacobæa sub  
signo stellæ aureæ.

M. D.C. XII.





NICOLAI RIGALTII  
DE FEVDORVM LIBRIS  
PRAEFATIO.

AD AMPLISSIMVM VIRVM  
NICOLAVM BRVLARTVM SILERIVM  
FRANCIAE CANCELLARIVM.

**N**ris feudorum scientia, quam huius-  
ce voluminis inscriptio profitetur, vir  
amplissime, neminem sibi patronum  
optare debuit præter te maximum in-  
terq; maximos eximium Galliæ can-  
cellarium , penes quem legum om-  
nium tutela sacratissimi munera auctoritate sanctitur.  
Nec abs re quidem hunc de feudis libellum publicam  
supremi togæ Gallicæ magistratus tutelam ambire  
dixerim , quum ipsa feudalium constitutionum disci-  
plina varijs futilissimarum opinionum disceptationi-  
bus agitata in has demum angustias adducta videatur,  
ut in nonnullorum animis legitimæ doctrinæ fidem


A ij


vix inueniat. Quæ sententia cùm duobus omnino nitatur argumentis; vno, quod Responsorum Consiliorumve, quæ his libris continentur, auctores aut prorsus nullam habuerint condendarum legum potestate, aut intra fines Italæ coercitam: altero, quod ius istud varium sit, inconstans & indigestum; priori quidem argumento iam olim satisfecit præstantissimus Cuacius; probauitque non minorem in re feudalí harum legum esse auctoritatē, quam Rhodiarum in re naualli: posteriori vero quotquot impensisſſime fauent, opinionis suæ fundum citant Cuspinianū, qui Frideriū tertium *iuris-peritos mediocriter dilexisse* refert, quod *iuris aequitatem diceret ab ijs inuerti, iustitiamque fædari;* ob idque nouum de *usibus feudorum librum fieri inuiffisse.* Quæ tamen verba si quis attentius legat, obseruabit Cuspinianum memoria lapsum Friderico tertio tribuisse quod de Friderico primo ex Radeuici commentarijs decerpferat. Etenim Radeuicus ille Frisingensis, æqualis Friderico primo scriptor, principem suum narrat *de iure feudorum, quia apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat,* et pene omnes eam beneficiorum iustitiam conuerterant, leges promulgasse. Eas vero leges quarum capita subiicit idem auctor, quæque ab Gunthero versibus haud contemnendis sunt comprehensa, si quis Oberti de Orto vel Gerardi Nigri libellis derogasse contendat, eum vel hementer errare necesse est. Nam vt Obertum & Gerardum sub Friderico primo functos Mediolanensi consulatu facile crediderim, sic ipsos feudalium

5

legum eclogen tunc temporis composuisse aut edi-  
disse nemini vñquam persuaderi posse existimauerim;  
quum neque Otho, neque Radeuicus, neque etiam  
Guntherus harum rerum diligentissimi scriptores, qui-  
que Oberti & Gerardi in leuioribus gestis haut semel  
meminerūt, feudalium librorum editionem vllam ne  
verbo quidem attigerint. Itaque sic statuendum est:  
eorum responsa non ante Imp. Friderici secundi tem-  
porahominum manibus teri cepisse. at inde postmo-  
dum maximæ fuisse apud omnes auctoritatis; mox &  
ab Accursio, Ardizone, Hugolino, Odofredo, Baldo  
& Aluaroto glossis commenrarijsque illustratos: ac  
demum sub Friderico tertio in pauciores ac certiores  
rubricas fuisse tributos. Hanc enim postremam curam  
suscepere doctores duo; unus Bononiensis, Antonius  
de Prato veteri: alter Placentinus, Bartholomæus Ba-  
raterius, qui Tribuniani æmulatione, nisi magna  
paruis piget componere, ex feudalib. pandectis hunc  
repetitæ prelectionis codicē ingeniosissime confece-  
rūt. Ipsissimus codex, quem Philippo Mariæ Mediola-  
nenium Ducum Baraterius dicauit & obtulit, in Tici-  
nensi Ducum bibliotheca seruatus est usque ad Lu-  
douici XII tempora; qui cum Italiam fere totam vi-  
etricibus copijs subegisset, eam bibliothecam iure bel-  
li suam fieri voluit, atque in Galliam transferri.







# I A S O N M A I N V S

IN PRÆLVD. FEVD.

**G**Onsummatisimus vtriusque  
censuræ doctor D. Baraterius  
de Placentia, in hac alma vniuer-  
sitate & Ferrariensi vtriusque prin-  
cipis Ducalis Senator, multos annos  
in vtroq. iure publicè legit, & præ-  
sentem librum feudorum aliter re-  
formauit, & reduxit in breuissimum  
opusculum, donatum illustrissimo  
Principi Duci felicis recordationis  
Philippo Mariæ, & est in bibliotheca  
Principis in arce castri Ticinensis  
collocatum.

A

---

INCIPIVNT R V B R I C Æ  
LIB. SE Q V E N T I S.

- I. **D**e feudi cognitione.
- II. **D**e his qui feudum dare & recipere possunt.
- III. **D**e reb. in quibus feudum consistere potest.
- IV. **D**e pactis feudorum.
- V. **D**e testibus feudorum.
- VI. **D**e acquisitione feudi per inuestituram.
- VII. **D**e juramento fidelitatis per vassallum præstanto.
- VIII. **D**e vassallo committente culpam contra dominum,  
& de culpis dominorum.
- IX. **D**e vassallo non præstante debitum seruitium domino.
- X. **D**e vassallo non præstante fidelitatem domino &  
heredi eius.
- XI. **D**e vassallo feudum alienante.
- XII. **D**e domino feudum alienante, & de evictions re<sup>l</sup>  
feudalis.
- XIII. **D**e alijs modis amittendi feodium.
- XIV. **D**e successione feudi.
- XV. **D**e iudicijs causarum feudalium.

BARTHOLOMÆI BARATERII  
AD PHILIPPVM MARIAM  
DVCEM MEDiolANI, PA-  
PIÆ, ANGLERIÆQ. CO-  
MITEM, AC GENVÆ  
DOMINVM.

P RÆFATIO INCIPIT.

Vm animaduertissem, illustrissi-  
me Princeps & incliti Mediola-  
ni Philippe Maria Dux excelse,  
libellum feudorum ab Oberto  
de Orto Mediolanensi iam anti-  
quis temporibus compositum hunc præci-  
puum defectum sustinere, quod consuetudi-  
nes & leges ipsæ feudales ita diffusæ & locis  
incongruis collocatæ erant, vt studentium  
mentibus pauor illatus eos ab ipsarum studio  
frequenter abstraheret, propterea ergo excel-  
lentiæ tuae seruulus Bartholomæus de Bara-  
terii ex tua ciuitate Placentina oriundus ad  
ipsorum studentium vtilitatem quantum po-

A ij

P R A E F A T I O .

tui elaborauit, ut consuetudines ipsæ & leges feudales suis locis ordinatæ possint reperiri & difficultas illa incompositæ situationis possit submoueri. Nouum ergo libellum earundem consuetudinum & legum feudalium cōposui, in quo ipsas diuersa quidem forma, eodem tamen sensu retento transformauit, & in eo nihil aliud, quamquod ad materiam feudalem pertinet, inserui. Verum quoniam nihil est infra cœlum quod propriis viribus subsistat, tuque fortissimas vires ad quæque sustinenda obtineas; præcipuè etiam cum consuetudines feudorum pro tuo iure possis vindicare, cum in hac tua Lombardiæ parte initium sumpsisse, & per tuum virum Mediolanensem primitus recollectæ videantur, libellum istum feudalem sic reformatum ad te mittendum censui, tuam excellentiam exorans, ut si eadem excellentia quæ ex frequenti feudorum creatione supereminentem in eis peritiam obtinet, libellum ipsum quasi nihil boni & vtilitatis continentem non admiserit, tamen intentionem meam, quæ ad bonum anhelauit, non damnet. si verò aliquid boni inesse iudicauerit, eamdem excellen-

P RÆFATI O.

tiā inuoco, vt auctoritate sua libellum ipsum  
insignire, & ad præclaros huius tui studij Pa-  
piensis scholares ipsum mittere & eis accom-  
modare dignetur. Ego verò postmodum au-  
toritate tua fretus glossas quasdam vtiles suis  
congruis locis ordinare, si tua excellentia iuf-  
serit, sollicita meditatione curabo.

A iii





## C A P . I.

## De feudi cognitione.

EX C. DE FEV. COG.



BERTVS de Orto Anselmo filio suo dilecto salutem. Causarum quarum cognitio nobis frequenter committitur, alię quidem dirimuntur iure Romano, alię legibus Longobardorum, alię autem secundum regni consuetudines: quæ quam sint variæ, quamque secundum diuersorum locorum aut curiarum mores diuersæ, nec breuiter potest dici, nec facile potest hoc libello comprehendendi. Vsum tamen feudi qui in nostris partibus obtinet, prout possibile est tibi expondere necessarium duxi. in iudicio enim quod de feudo agitur, illud legibus nostris contrarium dici solet. legum Romanarum non vilis est auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt, vt ysum vincant aut mo-

res. Strenuus autem legis peritus, sicuti casus emer-  
serit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus,  
absque calumnia uti lege scripta poterit.

EX §. I. IN QVIB. CAV. FEV. AM.  
& EX §. PERSONAM. PER QVOS FIAT  
INVEST.  
& EX §. I. QVID PRÆCED. DEBEAT.

**V**IDEAMVS igitur quid sit feudum vel bene-  
ficium. Et in primis illud te scire oportet, bene-  
ficij illius quod est genus talem definitionem esse.  
Beneficium nihil aliud est, quam beneuela actio tri-  
buens gaudium capienti capiensque tribuendo, & in  
id quod facit prona & sponte sua parata. Huius gene-  
ris species quædam est beneficium illud quod ex be-  
nevolentia alicui ita datur, ut proprietate quidem rei  
immobilis beneficiatæ penes dantem remanente, v-  
susfructus illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad  
eum heredesque suos masculos & feminas, si de his  
nominatim dictum fuit, in perpetuum maneat, ob  
hoc, vt ille & sui heredes fideliter domino seruant,  
sive id seruitum nominatim quale esse debeat ex-  
pressum sit, sive indeterminate promissum sit. Feu-  
dum autem à fide vel à fidelitate dicitur. Fidelitatem  
dicimus iusurandum quod à vassallis domino præ-  
statur.

## Ex c. EXTRAORD.

**B**eneficium intelligitur quasi ex bono præterito, vel præsenti vel futuro factio & licito, & generaliter habet in se seruitium & fidelitatem; nisi ex pacto excipiatur, ut fit saepius. De fidelitate autem sapientes aliter opinantur. Respiciunt autem ad personam dantis vel recipientis beneficium, vel ad beneficij quantitatem. Si enim dominus & vassallus nunquam de fidelitate cogitauit, pro nimia paruitate beneficij, quis vnquam contradixit?

## Ex c. Q VI CVR. VENDID.

**F**undum autem etiam ad certum seruitium dari potest.

## Ex c. Q VID SIT INVESTITURA.

**S**ub tali conditione feudum dari potest ut vassalus in diebus festiuis cum uxore domini ad ecclesiam vadat.

## Ex §. SVMMOPERE, IN CAP. EXTR.

**E**st etiam beneficium conditionale, ut pote quod propter habitationem datur.

## Ex c. DE FEVDO GUARDIÆ.

**N**omine etiam guardie vel gastaldię & pro mercede alicuius rei feudum datur.

CAP.

## CAP. II.

De his qui feudum dare & recipere possunt.

**E**X TIT. DE HIS Q. F. D. P.

**N**Ideamus qui feudum dare possunt. Feudum autem dare possunt, Archiepiscopus, episcopus, abbas, abbatissa, præpositus, si antiquitus fuit eorum consuetudo feudum dare.

**E**X §. I. EPISC. VEL AB.

**S**I autem præpositus vel alia Ecclesiastica personaque antiquitus non sit solita feudum dare, feudum dederit, de iure non valet.

**E**X TIT. EPISC. VEL AB.

**I**Tem si episcopus, vel abbas, vel abbatissa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus ecclesiasticis quæ eis subiectæ sunt, & tituli vocantur, nullum habet vigorem; secundum hoc quod constitutum est à Papa Urbano in sancta Synodo; hoc est, quod post eius decretum datum fuerit. Quod autem ante datum fuit, firmiter permanere debet.

**Ex §. CLERICI IN TIT. DE CLE. QVI  
INVEST.**

**S**ciendum est, Archiepiscopum Mediolani non posse dare in feudum quod tempore introitus sui in dominico inuenierit; Sed si postea feudum aperiatur, ipsum recte dabit. Profecto alij Episcopi & Clerici ea quæ vsui dominico habentur & feuda his aperta & olim dederunt & hodie dant.

**BALD. EX §. CLERICI. IN TIT. DE CLE.  
Q. INVEST.**

**A**rchiepiscopus Mediolani non tantum feudum quod aperitur, sed & quod tempore introitus sui in dominico reperitur, infeudare potest, secundum rectum & rationabilem usum modernorum: & quod in feudum dederit, stabile manet.

**Ex §. SUMMOPERE. IN CAP. EXTRAOR.**

**A**Prælatis Ecclesiarum tradi legitime dici potest, ut iure inuestitura, valeat: dum tamen videatur dispensator. Quod si aliter intelligeretur, nullum beneficium ab Ecclesiasticis personis retineri posset. Dicitur etiam quod si coniunctæ personæ vel alicui alteri tale feudum dederit, per quod duos consimiles vassallos acquirere posset, inutile est.

Ex §. DE MARCHIA. IN TIT. DE FE  
MARCH.

**D**E Marchia, vel ducatu, vel comitatu, vel aliqua regali dignitate per beneficium ab imperatore inuestimur.

## Ex tit. QVIS DICAT. DVX.

**Q**Vi à principe de ducatu aliquo inuestitus est, Dux solito more vocatur. Qui vero de Marchia, marchio dicitur. Dicitur autem marchia, quasi mari cara, id est, collocata, & iuxta mare plerūmque sit posita. Qui vero de comitatu aliquo inuestitus est, Comes appellatur. Qui vero à principe, vel potestate aliqua de plebe aliqua, vel plebis parte per feudum fuerit inuestitus, is capitaneus appellatur, qui proprie valvasor magnus olim dicebatur.

## Ex §. i. TIT. DE FEVDIS.

**M**Archio autem & Comes, qui propriè regni vel Regis Capitanei dicuntur, similiter feudum dare possunt: Sunt enim & alij qui feuda ab istis accipiunt, qui propriè regis valvasores dicuntur. Sed hodie Capitanei appellantur, qui & ipsi feuda dare possunt. Ipsi vero qui ab ipsis feuda accipiunt, valvasini, id est, minores valvasores dicuntur.

**E**X §. 1. DE NATVR A FEVDI. & EX §. 1.  
QVIB. MODIS FEVD. AMITTATVR.

**P**rinceps Capitaneos suos inuestit, id est, mar-  
chiones & comites, & ipsos qui propriè Capita-  
nei appellantur. fit etiam inuestitura à Capitaneis &  
maioribus valuatoribus, qui proprie hodie Capita-  
nei appellatur. fit etiam à minoribus & minimis val-  
uatoribus, valuatores maiores & minores hodie vo-  
cantur Capitanei: licet impropiè dicantur minores.

**E**X §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**I**nuestitura ab uno quoque fieri potest, siue Ecclē-  
siastica persona sit, sine antiquitus eorum consue-  
tudo fuerit. hoc secundum quosdam, etiam si à femi-  
na & minore vigintiquinque annis facta fuerint. De  
nouo inuestitura à muliere secundum quosdam fieri  
non valet. Quibusdam valere placet. quæ sententia  
verior est. A minore decem octo annis valet. Hoc au-  
tem de minoribus vigintiquinque annis assertur, vt  
quibusdam placet.

**E**X TIT. PER QVOS FIAT INVEST.

**I**nuestitura quæ de veteri beneficio fit, etiam à mi-  
nore vigintiquinque annis fieri potest. Noui au-  
tem feudi inuestitum non ab alio recte fit, nisi ab eo  
qui legitime suorum bonorum administrationem  
habet. Qui enim qualibet ratione de suis rebus alie-  
nare impeditur, is nec per feudum inuestituram face-  
re potest.

Ex §. PERSONAM. PER QVOS FIAT  
INVEST.

**F**Eminam quoque, etiam noui feudi inuestituram  
facere posse plerique consentiunt.

Ex tit. PER QVOS FIT INVEST.

**I**Nuestitura enim, aut de veteri beneficio fit, aut de  
novo.

Ex tit. QVI TEST. SINT NECESS.

**N**Ouam inuestituram dico, quando feudum pri-  
mo acquiritur. veterem autem inuestituram,  
quaë fit à domini successore, vel vassalli successori.

Ex tit. PER QVOS FIAT INVEST.

**P**ersonam vero inuestituram accipientis non di-  
stinguimus. Nam & seruus inuestiri poterit, nisi  
ignorantia prætendatur.

Ex §. PRÆTEREA. IN CAP. COR.

**C**Lericus etiam, veluti episcopus, vel abbas, ha-  
bere potest beneficium à rege non solum per-  
sonæ, sed Ecclesiarum datum.

Ex §. DE NOTIS FEVDOR.

**I**Nuestitura & perse, & per nuntium dari & accipi  
potest.

Ex §. PERSONAM. PER QVOS FIAT  
INVEST.

**V**Trum ipse facias, an aliis pro te inuestitaram  
faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus. Po-  
test enim hoc negotium & per procuratorem ab  
vtraque parte expediri.

TIT. III.

### De rebus in quibus feudum consistere potest.

Ex §. DE MARCHIA. TIT. DE FEVDO  
MARC.

**N** Marchia ducatu, vel comitatu &  
regali dignitate feudum consistere  
potest.

Ex §. I. DE LEGE COR.

**D**E beneficio etiam regali aliquando à rege in-  
uestimur.

Ex TIT. QVÆ SINT REGALIA.

**R**egalia autem sunt, arimandiæ, viæ publicæ, flu-  
mina nauigabilia, portus, ripatica, vestigalia

quæ vulgo tolonea dicuntur, monetæ, mulctarum penarūmque compendia, bona vacantia, & quæ vt indignis à legibus auferuntur; nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur, & bona contrahentium incestas nuptias, & comitentium crimen læsæ Majestatis, & condemnatorum & proscriptorum, secundum quæ in nouis constitutionibus continetur. Angariarum & parangariarum & plaustrorum & nauium præstationes, & extraordinaria collatio ad feli-cissimam regalis numinis expeditionem: Potestas constituendorum magistratum ad iustitiam expe-diendam: Palatia in locis consuetis: Piscationum & salinarum redditus: Argentariæ, & dimidium Thesau-ri inuenti in loco Cælaris, vel in loco religioso. si da-ta opera, totum.

## Ex TIT. IN QVIB. REB. POS. ESSE FEVD.

**S**ciendum est feudum, siue beneficium non tan-tum in rebus soli, aut solo coherentibus posse cō-sistere, sed & in his quæ inter immobilia connume-rantur, veluti cum feudum de camera, seu de caneua datur.

## Ex TIT. DE NOTIS FEVDOR.

**N**otandum est in feudo quod de camera seu caneua datur, non debere dari, nisi sit de camera aut de caneua tantum unde possit exsolui. Vnde si ita euacuata sit camera seu caneua, sine culpa promisso-ris, expectadum est donec interim de camera vel ca-

neua dari possit. Dominum autem dare feudum posse intelligitur omni aëre alieno deducto : sicut non est æquum videre eum egentem quem prius habuit in coniugem.

Ex TIT. QVIS DICAT. DVX.

**S**oldata etiam est præstatio quædam annua & gratuita. Soldata verò dicitur, quia plerūmque in soldi datione consistit. Quandóque etiam in vino & annona consistit.

TIT. IIII.

### De pactis feudorum,

BALD. IN PROOEM. §. PORRO.



N feudis sermo inuestiturae nec non vis verborum & sensus cōtrahentium intuendus est.

Ex TIT. DE FEVD. DAN. IN  
VICEM LEG. COR.

**S**i quis aliquam rem pignori obligauit, eo pacto, ut si statuto tempore pecunia soluta creditor non fuerit, creditor eam pro feudo habeat, potest debitor quandocumque pecuniam soluerit, pacto non obstante pignus recuperare. Feudum enim non

sub

sub pretextu pecuniae, sed amore & honore domini perquirendum est.

## EX TIT. QVI CVRIAM VENDIDIT.

**F** Eudum datum lege comissoria non valet, ut si ad certum tempus pecunia non soluatur, in feudum habeat. Gerardus. Sed secundum Obertum valet.

## EX §. I. QVID SIT INVEST.

**A** Liquando etiam tenor aliquis præter communem feudi rationem, veluti quod vassallus diebus festiuis ad ecclesiam cum uxore domini vadat. & pactum speciale contra feudi consuetudinem, veluti de filiarum successione in inuestitura intercedit.

## EX TIT. DE FRA. DE NO. BENEF. INV.

**E**Tiam potest inuestitura de feudo nouo & non paterno fieri, eo pacto ut uno fratum similiter inuestitorum sine herede defuncto, eius portio pertineat ad alterum.

## EX TIT. DE GRAD. SVCCES. IN FEVD.

& EX §. I. DE NAT. SVCCES. FEVD.

**B**Eneficium hoc autem paternum dicimus, si fuerit illius parentis qui fuit illius agnationis communis, vel quicumque ex superioribus id acquisiuit.

## Ex §. I. IN CAP. EXTRAORD.

**B**eneficium paternum siue hereditarium intelligitur feudum patris vel proaui, usque ad infinitum.

## Ex §. I. DE SUCCESS. FEVD.

**P**ost quartum gradum non vocatur feudum paternum, secundum quosdam. alij vero usque ad septimum gradum dicunt.

## Ex TIT. QVIS DICAT. DVX.

**Q**ui ab antiquis temporibus feudum non tenent, licet nouiter à Capitaneis seu valuatoribus acquisierint, plebeij nihilominus sunt. Nam & hi qui soldatam acceperunt vel habuerunt, per eam nullum paradegum, sed nec feudi usum acquirunt.

## Ex §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**i quis pro villicaria, & ut ita dicam, pro decania, vel alijs quibuscunque angarijs feudum quidem, quod in proprium est, acceperit, specialiter agi inter contrahentes potest, ut nominatus in feudo sit cum honore feudi.

## Ex §. SVMMO PERE. EOD.

**S**i beneficia conditionalia quæ in majoribus cuiuslibet veteri tempore esse noscuntur, ut pote pa-

triarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ducum, marchionum, comitum, capitaneorum, siue etiam maiorum valvasorum secundo & tertio, vel deinceps alijs vasallis dentur, tacite conditiones eos sequuntur: nisi nominatum in ipsis traditionibus ipsæ conditiones excipientur, heredem etiam de his conditionibus quæ nouiter constituuntur ad harum similitudinem nexum fore sapientibus placet.

---

## TIT. V.

## De testibus feudorum.

Ex TIT. QVID SIT. INVESTITURA.

**N**uestitura si quidem ab eo fiat, qui alios vassallos habet, saltem coram duobus ex illis solenniter fieri debet: alioquin, licet alij interfuerint testes, inuestitura minime valet, nisi per breue testatum, secundum quosdam.

Ex §. 1. DE CONSVENT. REG. FEV.

**N**on dicatur inuestitura, quæ sine paribus facta est, valere; quoniam tunc temporis pares abe-  
rant: quia si absint, tamen expectandi sunt.

## Ex §. I. DE NOTIS FEVDOR.

**Q**uod autem pares tantum debeant interesse inuestituræ feudi, & non alij, hoc tunc verum est, cum dominus alios vassallos habet. alioquin adhibeat dominus quos meliores poterit; liberos tam en: argumento legis Lombardæ, quæ dicit. Si quis donationem facere voluerit de rebus suis alicui, vel inuestituram facere, adhibeat de compagensibus, vel alijs qui eadem lege viuunt, qua ipse, testes idoneos duos vel tres: pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Et si illos habere non potuerit, tunc de alijs quales sibi meliores inuenierit. Idcirco autem Pares sunt necessarij in instrumento inuestituræ, & non alij, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, alijs testibus inductis; corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia; quæ non sunt in Paribus suscipienda.

## Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**D**e ingressu curiæ à quibusdam varia & diuersa putantur. Nos autem quod saepius ac rationabiliter in multis curijs & ciuitatibus intelleximus, in scriptis bonæ recordationis inferere curauimus. Qui cunq[ue] igitur beneficium per inuestituram acquisierit sine traditione possessionis, Pares ad inuestituram habeat, ut per ipsos veritas discernatur, cum controuersia inde fuerit, sane si possidet alijs quibuscumque adminiculis adiuuabitur. Veruntamen quia multi milites inopes vassalli sunt, per testes vel breue te-

statum satis competens probatio esse dignoscitur.

ET TIT. SI DE INVEST. IMT. DO. ET VAS.

**I**N Clericorum feudo æqualiter recipiuntur Pares & extranei. Hoc ideo, quia clerici quando de feudo inuestiunt, absconde, & sine presentia suorum fratrum hoc facere student.

Ex TIT. QVI TESTES SINT NECESS.

**S**iue Clericus, siue laicus sit dominus, ad probandum nouam inuestituram, semper Pares curtis sunt necessarij. Et si sine eis facta fuerit inuestitura, etiam si dominus confiteatur factam, quia tamen si ne hac sollemitate facta est, non valet: etiam si probari possit per breue testatum. Sed alij cōtra testātur, vt si dominus confiteatur factam, decurrens ad solennitatem consuetudinis, non audiatur. Sed tale habetur, ac si Pares affuisset. Sed alij, vt Obertus & Gerardus, dicunt, etiam si probari possit per breue testatum, nisi à Paribus sit confirmatum. Consules tamen Mediolani nuper quibusdam contra rescripserunt, & consentiunt vt breue testatum, non à Paribus, sed ab alijs confirmatum, sufficiat ad probandam nouam inuestituram. De veteri autem inuestitura etiam extranei recipiuntur ad testimonia, præter feminas, secundum usum Mediolani. Istæ enim neque in causis feudorum nec aliorum recipiuntur ad testimonium. Ceteri vero recipiuntur in omnibus, quæ ad causas feudorum pertinent præterquam de noua inuestitura.

## T I T. VI.

# De acquisitione feudi per inuestitaram.

Ex §. I. IN QVIB. REB. POSS. ESSE FEVD.

 Ciendum est, neminem feudum seu beneficium acquirere posse, nisi in uestitura aut successione.

 Ex §. SVMMOPERE. IN CAP.  
EXTRAORD.

**B**eneficium de veteri & nouo intelligitur. Cum de veteri sit inuestitura, satis sit si denuo feudum fiat. Si autem de nouo inuestitura fiat, nominatim & decerta re fieri oportet.

Ex TIT. QVID SIT INVESTIT.

**I**nuestitura proprie quidem dicitur possessio, abuso autem modo dicitur inuestitura, quando hasta, aut aliud quodlibet corporeum porrigitur a domino se inuestitaram facere dicente.

Ex CAP. EXTRAORD.

**B**eneficium intelligitur inuestitura cum traditio-ne, ex quo ita sit, ut si quis primo inuestiatur re-

nondum tradita, ille cui posterior inuestitura cum traditione facta fuerit, potior habeatur.

## Ex §. 1. PER QVOS FIAT INVEST.

**S**iue à majori, siue à minori inuestitura fiat, non de omni possessione vassalli, sed de iusta tantum facta intelligitur, nisi aliud nominatim dicatur.

## Ex §. 1. DE NOTIS FEVD.

**S**ciendum est non esse impedimento inuestitu-  
ræ, et si dominus inuestituram faciat de re quam  
cum alio communem habet; quia si ille cum quo-  
rem communem habet, sponte diuidere noluerit,  
potest ille qui inuestitus est eum per iudicem coge-  
re, ut diuidat, vt adæquatio percurrat usque ad qua-  
draginta annos.

## Ex TIT. DE CONSVENT. REC. FEVDI.

**S**ciendum est itaque feudum acquiri inuestitura,  
vel eo quod habeatur pro inuestitura, vt ecce, si  
dominus dixerit alicui coram Paribus curiæ, VADE  
IN POSSESSIONEM FEVDI ILLIVS, ET TE-  
NEAS IPSVM PRO FEVDО. Licet enim non  
intercessit inuestitura, tamen tale est ac si intercessis-  
set: quia ille voluntate eius possessionem eius feudi,  
nomine feudi nactus est.

EX TIT. QVIB. MODIS FEVD. CONST.  
OPOR.

**S**ciendum est feudum sine inuestitura constitui non posse. & si domino iubente quis alicuius rei possessionem feudi nomine nanciscatur & teneat, tantum possessionem taliter adeptam licet dum vixerit quasi nomine feudi retinere; herede eius in hoc iure nullo modo succedente.

Ex §. CVM DE RE. DE INVEST. DE RE.  
AL. FAC.

**R**EI autem per beneficium recte inuestitæ vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam dominus à quolibet possidente possit quasi vindicare, & si ab alio eius rei nomine conueniatur, defensionem opponere. Nam & seruitutem eidem rei debitam potest petere & retinere.

Ex TIT. DE CONTRO. INT. VAS. ET AL.

**S**I causa inter vasallum & alium de beneficio fuerit, aduersario proprietatem totius rei vel partis, vel seruitutem, vel aliud aliquid ius sibi vindicante, causa per vasallum, etiam domino absente, quasi propria ad finem perducatur. Ipse enim solus agendi & excipiendi utiliter habet potestatem. Et si pro eo, aut contra eum fuerit iudicatum, aut cum aduersario transegerit, dummodo non fraudulenter factum sit, et si postea beneficium domino aperiatur,

tale

tales erit, ac si eo causam agente iudicatum fuisset, & ideo ratum haberi oportebit.

## EX TIT. SI DE FEV. FVE. CONTRO.

**S**i vassallus de suo feudo agat vel conueniatur, siue obtineat sine non, licet ignorantie domino fiat, omni tempore firmum erit iudicium illud. Nam & transigere recte poterit. Nec quod accepit nomine transactionis feudum erit.

## EX §. SYMMOPERE. IN CAP. EXTRAOR.

**I**N beneficijs ut in ceteris contractibus præscriptionem currere satis humanum est, & rationi congruum videtur.

## T I T. VII.

**De juramento fidelitatis per vassallum præstanto.**

**Ex §. PERSONAM. PER QVOS FIAT INVESTIMENTUM EST.**

**V**ILLA inuestitura ei fieri debet qui fidelitatem facere recusat: nisi eo pacto feendum acquisitum sit, ut sine iuramento fidelitatis habeatur.

Ex §. I. QVÆ FVIT PRI. CAV. BENEF.  
AMIT.

**S**Vnt enim feuda quædam ita data, vt pro his fi-  
delitas præstanda non sit.

Ex TIT. QVID PRÆCED. DEB.

**V**Trum autem inuestitura præcedere debeat fi-  
delitatem, aut fidelitas inuestituram, quæsi-  
tum scio, & sâpe responsum est inuestituram præ-  
cedere fidelitatem debere.

Ex TIT. QVALITER VAS. FID. IVR. DEB.

**Q**Valiter vassallus fidelitatem iurare debeat do-  
mino videamus. Iurare autem sic debet.  
*Iuro ego ad hæc Sancta Dei Euangelia quod a modo in  
antea ero fidelis huic N. sicut debet esse vassallus domi-  
no suo. Nec id quod mihi sub nomine fidelitatis commi-  
serit, pandam alij ad eius detrimentum, me sciente.*  
Si vero fidelitatem iurat, non ideo quod feudum ha-  
beat, sed quia sub iurisdictione eius sit cui iurat, aut  
si domesticus eius sit, id est, familiaris eius cui iurat,  
nominatim, *Vitam, mortem, membrum, & eius re-  
ctum honorem iurabit.*

Ex EPISTOLA PHI. QVÆ EST IN DECRE-  
TIS, XXII. Q. VI.

**D**E forma fidelitatis aliquid scribere monitus,  
hæc vobis quæ sequuntur ex librorum aucto-

ritate notaui. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex in memoriam habere debet. Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, ne sit in damno domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit ei in damno de iustitia sua, vel de alijs causis quæ ad honestatem eius pertinere noscuntur. Utile, ne sit ei in damno de possessionibus suis. Facile & Possibile, ne id bonum quod dominus suus leuiter facere potest ei difficile faciat: neve id quod ei possibile erit impossibile faciat. Ut fidelis hæc documenta caueat iustum est. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est, restat ut in sex prædictis consilium & auxilium domino suo præstet, si vult videri beneficio dignus & fidelitate saluus esse. Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito male fidus censabitur; sicut ille qui in eorum præuaricatione, vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus & perjurus esse censetur.

## EX TIT. DE NOVA FORMA FIDELITATIS.

**E**st & alia de nouo super fidelitatis iuramento forma inuenta, & utentium consuetudine approbata, quæ hodie in omni fere curia videtur obtinere: hæc scilicet. *Ego iuro per hæc Sancta Dei Evangelia quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vita mea ero fidelis tibi domino meo contra omnem hominem, excepto imperatore vel rege.* Quod verbum si re-

Cte intelligatur nulla quidem indiget adiectione, sed integrum & perfectam in se continet fidelitatem. Sed propter simplices & nominis significationis ignaros, ad illius verbi interpretationem hæc adjici solent. *Juro quod nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel facto, quod tu amittas vitam vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in persona aliquam læsionem, vel iniuriam, vel contumeliam, vel quod tu amitas aliquem honorem quem nunc habes, vel in antea possidebis.* Et si sciuero vel audiero de aliquo qui velit aliquid istorum contra te facere, pro posse meo ut non fiat impedimentum præstabo. Et si impedimentum præstare nequero, quam citius potero tibi nuntiabo, & contra eum pro ut potero tibi meum auxilium præstabo. Et si contigerit terem aliquam quam habes vel habebis iniuste vel fortuito casu amittere; eam recuperare iuuabo & recuperatam omni tempore retinere. Et si sciuero te velle iuste offendere aliquem, & inde specialiter vel generaliter requisitus fuero, meum tibi sicut potero auxilium præstabo. Et si mihi in secreto aliquid manifestaueris illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur faciam. Et si consilium mihi super aliquo facto postulaueris, illud consilium tibi dabo quod mihi magis tibi videbitur expedire & nunquam ex mea persona aliquid faciam scienter quod pertineat ad tuam vel tuorum iniuriam vel contumeliam.

Ex L. IMPERIALEM. DE PROHIB. ALIEN.  
PER FRID.

**I**llud præcipimus, vt in omni sacramento fideli tatis nominatim Imperator excipiatur,

## BALD. IN FINE PROOEMII.

**D**E negotio super quo nos consulere voluisti ti-  
bi secundum usum curiae feudi breuiter respon-  
demus, quod pro feudo quod ab aliquo per Eccle-  
siam retinetur nulla fidelitas sit facienda.

## EX TIT. SI DE FEVDO CONT. SIT.

**S**i minor fuerit feudum datum, fidelitatem face-  
re non cogitur, donec venerit in actatem maio-  
rem, feudum tamen retinet.

## EX §. SVMMOPERE IN CAP. EXTRAORD.

**Q**uoniam de fidelitate mentionem fecimus, su-  
per ea summatim aliqua dispiciamus. Si be-  
neficium est sine fidelitate, & vassallus aliquid quod  
sit contra dominum suum fecerit, beneficium lau-  
datione parium amittit. Hoc idem dicimus de eo  
qui fidelitatem iurat.

## EX §. SVMMOPERE IN CAP. EXTR.

**Q**uia fidelitatem iurat, si voluntate utrorumque  
separatio feudi facta fuerit, fidelitas finitur.  
Si sua voluntate vel parium iudicio vassallus feudum  
dimiserit, fidelitas durat.

## EX §. I. QVALITER VASSALL.

**I**nuestitura autem facta, & fidelitate subsecuta,  
omnino cogitur dominus inuestitum in vacuam

possessionem mittere. Quod si differat, utilitatem omnem ei præstabit.

**E X T I T . S I D E F E V D O C O N T R . S I T .**

**S**i facta de feudo inuestitura pœnitentia dominum antequam possessionem transferat, an præstando interesse vassallo liberetur, quæsitum fuit. Et responsum est, prætermissa illa condemnatione, dominum possessionem feudi, de quo inuestituram fecit, tradere compellendum.

**E X §. I. D E N O T I S F E V D .**

**H**eres domini necesse habet tenere firmam inuestituram quam pater fecit, & eadem lege & eodem iure debet ille qui inuestitus est habere rem, qua haberet qui inuestituit cum coherede suo.

**E X T I T . D E C L E R . Q V I I N V E S T . F E .**

**C**lerico de bonis suis inuestituram faciente, eius successor cogitur omnino eam implere. Cum verò de bonis Ecclesiæ eam fecerit, si possessio rei per beneficium inuestitæ penes ipsum fuerit, & ipse & eius successor eam adimpleat. **Q**uod & in laicis contingit.

## TIT. VIII.

**D**e vassallo committente culpam  
contra dominum, & de culpis  
dominorum.

Ex TIT. IN QVIB. CAVS. FEVDVM AMIT.



Bertus de Orto Anselmo filio suo  
salutem. Cogis me, & super hoc sæ-  
pe scribendo multum vrges me, vt  
causas quibus beneficium amittitur,  
tibi enumeratas significarem. Quod  
ideo distuli quia sèpius causa no-  
stræ rei publicæ occupatus, & multis priuatorum  
causis aliisque rerum innumerabilium impedimen-  
tis detentus, onus illud subire non valebam. Et ne  
videar preces tuas paruipendere, & studium discen-  
di tibi immens negligere, quid mihi super hoc  
videatur tibi explicabo, dummodo memineris,  
causas illas sub aliqua certa regula aut definitione ro-  
tunda non posse comprehendendi. Nam sicut de pro-  
bationibus in Digestis scriptum reperimus, sic & de  
his causis sine calumnia dicere possumus. Si quis  
enim dixerit, quæ causæ, & quemadmodum alicui  
domino ad ingratitudinem alicuius vassalli proban-  
dam possint sufficere, nullo certo modo diffiniri pos-

se, non errauerit. De illa tamen ingratitudine lo-  
quor, per quam beneficium amittitur. Non enim ad  
hoc sufficit omnis occasio per quam fidelis accepti  
beneficij ingratus esse videatur; Sed sunt quædam,  
ut ita dixerim, egregiæ ingratitudinis causæ, quibus  
beneficium secundum mores curiarum adimi solet.  
Quomodo enim quam humiliter, quam deuote,  
quam benigne, quam fideliter erga dominum suum  
debeat se vassallus habere, potius ex naturali iure, &  
bonis curiarū consuetudinibus percipi potest, quam  
aliqua lege aut scripto comprehendendi.

**E**X TIT. QVI FEVD. DAR. POSSVNT.

& EX TIT. DE NATVRA FEV.

& Ex TIT. QVIE. MOD. FEVD. AMITT.

**E**T antiquissimo quidem tempore sic erat feu-  
dum in dominorum potestate connexum, ut  
quando vellent possent auferre rem à se in feudum  
datam. Sed hodie natura feudi hæc est, ut non pos-  
sint vassalli sine culpa diuestiri. Et quia dictum est  
supra quibus modis feudum acquiritur & retinetur,  
aunc videndum est qualiter amittatur.

**E**X CONST. FEVDAL. LOTH. IMP.

**S**I quis ex militum ordine de feudo fuerit inuesti-  
tus, obseruetur de beneficio & successione & de  
culpis, ut habemus per constitutionem domini Lo-  
tharij quam constituit tempore Eugenij Papæ ante  
ianuam beati Petri in ciuitate Romana.

**E**x

Ex Tit. de Fev. sine Cvl. non Amit.

Imp. Lotha.

**S**ancimus ut nemo miles sine culpa cognita beneficium suum amittat, & nisi ex culpis vel causis conuictus fuerit quas milites vsi fuerint nominare quando faciunt fidelitatem dominis suis, vel per laudamentum parium suorum, vel si deseruire noluerit.

Ex Tit. Qvot Test. sint Necess.

Imp. Henricus vniuerso pop.

**S**inhonestis factis atque indecentibus machinationibus dominum suum vassallus offenderit, atque insidijs clandestinis vel manifestis eum appetierit, vel inimicis eius suas amicitias copulauerit, atque in alijs sic versatus est, vt potius inimicus quam fidelis esse credatur, seu in campestri bello dominum suum dereliquerit, vel si eum cucurbitauerit, feudo priuabitur.

Ex §. i. Qvib. mod. Fevd. Amit.

**S**i vassallus dominum assalierit, vel castrum domini, sciens ibi dominus vel dominam esse, feydum amittere debet, quod ad dominum reuertetur.

Ex §. i. Qvæ Fvit Pri. Ca. Ben. Amit.

**P**orro si dominum, vt italoquar, assalierit, vel vicum in quo est per vim agressus fuerit, vel impius manus in personam domini vbicumque iniecerit, vel alias graues & inhonestas injurias intulerit, vel

morti eius veneno vel gladio vel aliter insidiatus fuerit, beneficium amittit.

**E**x §. I. QVIB. M.O.D. FEVD. AMIT.

**S**i valuafores scienter assalierint seniores, siue similes culpas cōmiserint, beneficio carere debet.

**E**x TIT. DE CAP. QVI CVR. VEND.

**S**i voluerit vassallus dominum offendere, & non laborauerit, non amittit feudum. Obertus & Gerardus. Et si laborauerit, non amittit: nisi ei insidiatus fuerit, & hoc probatum fuerit.

**E**x TIT. QVIB. M.O.D. FEVD. AMIT.

**S**i Dominus prœlium campestre habuerit, & vassallus ipsum morantem in ipso prœlio dimiserit non mortuum, non ad mortem vulneratum, feudum amittere debet; quod ad dominum reuertetur.

**E**x TIT. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AMIT.

**Q**ui dominum suum, cum quo ad prœlium iu erat in acie periclitantem dimiserit, beneficio se indignum iudicabit.

**E**x TIT. QVIB. M.O.D. FEVD. AMIT.

**S**i capitanei, vel maiores valuafores, vel minores in bello seniores dimiserint, siue similes culpas commiserint, beneficio carere debent.

EX TIT. DE FEVDO SINE CVL. NON  
AMIT.

**S**i quis miles in pugna dominum suum dimiserit,  
& cum eo non laborauerit, si potuerit, decernimus ut proprium beneficium amittat, dominus vero habeat.

## EX TIT. DE ALIEN. FEVDI. PATER.

**S**i à morte dominum vassallus liberare potuerit, &  
non fecerit, beneficio carebit.

## EX §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AM.

**E**t qui cognoverit dominum inclusum, & eum cum potuit non liberauit, indignationem domini non euitabit.

## EX §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AM.

**S**i vassallus præscierit aliquem contra dominum suum assaltum, vel captionem, vel mortem, aut grandem patrimonij iacturam molientem, debet dominum, quam citius potest, super hoc certiorare, ut proinde dominus sciens prudensque periculum valeat declinare. Quod si forte qui fidelis esse debuerat, dolosus aut negligens super hoc inuentus fuerit, se beneficio caritatum cognoscat.

Ex §. i. QVIB. MOD. FEVD. AMIT.

**S**I Capitanei vel maiores valuaores vel minores credentiam ad dominorum damnum scienter manifestauerint , siue similes culpas commiserint , beneficio carere debent.

Ex §. i. QVAE FVIT PRI. CA. BEN. AM.

**E**T qui delator domini sui extiterit , & per suam delationem graue dispendium eum sustinere fecerit, indignationem domini non euitabit.

Ex §. SACRAMENTVM. DE CONS. REC.  
FEVD.

**V**Assallus dominum nec accusare , nec testimonium dicere contra eum potest in ciuili causa licet modica vel criminali. Quidam tamen dicunt in criminali non licere, in ciuili licere. In quibus, si contra fecerit , feudo priuabitur.

Ex §. i. QVIB. MOD. BENEF. AM.

**S**I fidelis cucurbitauerit dominum , id est cum vxore eius concubuerit, vel concumbere se exerceuerit, aut cum ea turpiter luserit , vel si cum filia, vel nepte ex filio , aut cum nupta filio , aut cum sorore domini in domo ipsius domini manenti concubuerit, iure feudum amittere censemur.

Ex §. i. QVAE FVIT PRI. CA. BEN. AM.

**R**Ufsus si dominæ vel domini filiæ , aut nurui vel sorori in domo adhuc manenti, quæ in capillo

dicitur, se immiscuerit, feudo, quo se indignum monstrauit, carere debet.

## Ex §. i. QVI. MO. FEVD. AMIT.

**S**I valuafores seniorum vxores adulterauerint, siue similes culpas cōmiserint, beneficio carere debet.

## Ex §. SI QVIS DE FEVDO SI. CVL. NON AMIT. IMP. LOTHAR.

**S**I quis miles concubuerit cum vxore domini sui viuentis, decernimus ut proprium beneficium amittat; dominus verò habeat.

## Ex §. i. QVIB. MO. FEV. AMIT.

**S**I vassallus fratrem suum occiderit, vel nepotem, si d' est, filium fratri, feudamissione multabitur: quod ad dominum reuertetur.

## Ex TIT. AN ILLE QVI INTER FR. DO.

**S**I vassallus fratrem suum interficerit ad hoc ut totam hæreditatem habeat, beneficio priuabitur.

## Ex TIT. AN ILLE QVI INTEFR. FRA. DO.

**S**I quis interficerit fratrem domini sui, non ideo beneficium perdit.

## Ex §. LICET. SI DE FEV. CONTR. SIT.

**Q**Væsitum est, si dominus in perjurium incidat, quia dare non valeat, quod dare iurauerit; & vassallus ipsum liberare possit suam pecuniam dan-

do, & non faciat, an beneficium amittat? & responsum est, non amittere.

Ex §. FIN. DE ALIEN. FEV. PATER.

**S**I vassallus potuerit facere ne dominus in peccatum præcipitaretur, veluti per iurum, & non fecit, non tamen feudo priuandus erit.

Ex §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AM.

**Q**Vi domino suo iustitiam facere noluerit, feudum perdit.

Ex §. I. AN ILL E QVI INTERE. FR. DO.

**S**I vassallus aliam feloniam commiserit, hominem videlicet tradendo, ut tamplius in curia stare non possit, beneficio priuabitur.

Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**D**Icimus autem ut si vassallus contra ea quæ in fidelitate nominantur fecerit, beneficio carebit.

Ex §. SI VASSALLVS. DE VAS. QVI CON.  
CONST. LOTHAR.

**S**I contra vnum dominorum, quorum communis vassallus erat, feloniam fecerit, aut eum forte cuscubitando, eius solius parte priuabitur.

Ex §. I. IN CAP. EXTRAORD.

**S**I vni propter propriam calpam feudum abdicatum fuerit, alijs non nocet; nisi ad tempus, id est,

donec heredes illius inculpati fuerint.

## Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**C**Vm feudum hereditarium a coheredibus propria culpa per pares aufertur, præiudicium ceteris non sit. Hoc autem ita intelligitur, vt viuo eo vel suis heredibus ad ceteros venire non intelligatur.

## Ex §. PRÆTEREA. IN CAP. EXTRAOR.

**C**Onstituit Corradus, quod si clericus, veluti episcopus vel abbas, habens beneficium à rege, non solum personæ; sed ecclesiæ datum, ipsum propter suam culpam perdat, eo viuente & honorem ecclesiasticum habente ad regem pertineat: Post mortem vero eius ad successorem reuertatur.

## Ex TIT. QVI CVRIAM VEND.

**Q**Væsitum est apud me, si filius viuente patre dominum offenderit, ita quod feudū amitteretur, si pater decessisset, vtrum feudum amittatur, vel non? Secundum S. sic secundum O. & G. similiter.

## IMP. CORRADVS IN LOMBAR. DE BEN.

## C. FI.

**S**I vassallus forte filium, vel abiaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte patris habuerit, & seniorem offensum habuerit, & sibi vult satisfacere & miles eius esse, beneficium, quod patris sui fuit, habebit.

**E**x l. IMPERIALEM. DE PROHIB. AL.

PER FRID. IN HISTORIIS.

**S**i filius vasalli dominum offenderit, pater à domino requisitus deducat filium ad satisfaciendum domino, vel à se filium separat: alioquin feudo priuetur. Sin autem pater vult eum deducere ut satisfaciat; & filius contemnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi prius domino satisfecerit, parique modo vassallus pro omnibus domesticis suis faciat.

**E**x l. IMPERIALEM. DE PROHIB. FEVD.

AL. PER FRID.

**R**æcipimus ut si vassallus de suo feudo alium vassallum habuerit, & vassallus vassalli dominum domini sui offenderit, nisi pro seruitio alterius domini sui hoc fecerit, quæ sine fraude ante habuerat, feudo suo priuetur, & ad dominum suum à quo ipse tenebat reuertatur: nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere domino maiori, quæ offendit. Et nisi vassallus idemque dominus à suo domino requisitus eum qui maiorem dominum offendit requisiuerit ut satisfaciat, feudum suum amittat.

**E**X TIT. SI DE FEVD. EVERIT CONT.

**D**ominio committente feloniam, ut ita dicam, per quam vassallus amitteret feudum, si eam committeret: Responsum est proprietatem feudi pertinere

pertinere ad vassallum; siue peccauerit in vassallum,  
siue in aliuum.

## EX TIT. QVA. DOM. PROPR. PRIV.

**E**X facto quæsitum scio, & ego à pluribus quæsi-  
ui, si dominus contra vassallum apertam felo-  
niam fecerit, an sicut vassallus beneficium amitteret,  
ita dominus proprietate priuetur? Et quidam dicunt,  
quod ex omni feloniam, qua vassallus feudo priuare-  
tur, etiam dominus proprietate priuetur. Alij non  
nisi ex magna feloniam. Alij ex nulla. Sed prima sen-  
tentia mihi placet, nō habita distinctione qualis vas-  
fallus sit, vtrum per sacramentum vel non.

## EX §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AMIT.

**P**Rædictis modis debere beneficium amitti, tam  
naturalis quam ciuilis ratio suadet: Quod colli-  
gi potest, si quis nouam constitutionem iustas ex-  
hereditationis causas numeratæ & alias constitutio-  
nes enumerantes iustas repudij causas quibus matri-  
monia recte cōtracta soluūt, & ingratitudines qui-  
bus donationes iure perfectæ reuocantur sciscitatus  
fuerit. Sed quia natura nouas deproperat edere for-  
mas, potest multis modis contingere, vt aliae emer-  
gent causæ quibus videatur beneficium iuste adimi  
posse. Ideoque iudex vbique solers & discretus, &  
æquitati obsecundare solicitus, subtiliter cuncta dif-  
pensans prouideat, si qua fuerit antiquioribus causis  
similis aut maior, vt proinde sciat beneficiū sit amit-

tendum, an nihilominus retinendum.

Ex §. V A S S A L L I . S I V A S S A L . F E V D . P R I V .

**F**Eu dum vassalli delinquentis iterum per filium à domino gratiam ei faciente acquiri potest.

T I T . I X .

De vassallo non præstante debitu seruitium domino.

Ex §. i. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AMIT.

ET DE FEVDO SINE CVL. NON AMIT.

**N**ec alia est iustior causa beneficij auferendi, quam si id seruitium pro quo hoc beneficium datum fuerit, vassallus facere recusauerit: quia beneficium amittit. Aliud est, si forte ideo non seruierit, quia dominus non petierit. Tunc enim feudum non amittit. Et si vassallus domino suo seruire noluerit: tunc conductio ob causam proponitur ad repetendum feudum, ex quo domino non seruit.

Ex TIT. S I D E F E V D O F A C . C O N T R O .

**L**Icet vassallus domino seruitium non offerat, quantocumque tempore steterit, dummodo

domino petenti seruire paratus sit , beneficium non amittit. Si tamen ei magnum sciat imminere periculum, vltro adiutorium suum ei præbere debet.

EX TIT. AN ILLE QVI INTERF. FRA. DOM.  
&, DE FEV. SINE CVL. NON AMIT.

**N**on cogitur vassallus omnino secundum usum Mediolani dominum adire, & seruitium ei offerre : Sed cum nuntiatum ei fuerit , tunc domino seruiat, si potest. Et si vassallus steterit per viginti annos & ultra, quod domino non seruierit, nisi necesse fuerit domino, non amittit feudum.

HIC FINIT. LEX CORRADI.

**A**d hæc quantocumque tempore steterit vassallus quod domino non seruierit , secundum usum Mediolani beneficium non amittit, nisi seruitium facere renuerit : vel nisi à domino ei denuntiatum fuerit, & ille cum potuit diu steterit quod seruitium nullum fecit. Bonus tamen iudex varie ex personis causisque diffiniet. Finge , vassallum remotum esse , vel non ; dominum guerram habere , vel non ; paruam vel magnam , & an denuntiauit ei dominus, vel non. hæc enim omnia vertuntur in cognitione causæ: & promptiores sumus ad absoluendum, quam ad condemnandum. dum tamen scias , quod si vassallus sciuerit dominum obsideri, vel alias mortem sibi imminere, & cum potuerit, eum etiam sine nuntio non adiuuerit, feudo priuabitur.

## HIC FINIT. LEX CORRADI.

**D**ominio guerram alicui faciente, si sciatur quod iuste, aut dubitatur, tenetur vassallus ut adiuuet eum. Sed si palam est, quia irrationabiliter eam facit, eum adiuuet ad defensionem. Ad offendendum vero adiuuet eum si vult. Sed si eum adiuuare noluerit, non tamen feudum amittet. Obertus & Gerardus. Alij vero sine distinctione dicunt; semper eum adiuuare debere. Sed Obertus & Gerardus vtuntur hoc argumento, quod quemadmodum excommunicatum, vel à rege bannitum, non est obligatus vassallus ad adiuuandum, vel ei seruitium prætandum, imo solitus est interim à sacramento fidelitatis, nisi ab ecclesia, vel rege fuerit restitutus; ita nec istum iuste alicui guerram facientem vassallus adiuuare debet.

## Ex §. SI VASSAL. HIC FIN. LEX COR.

**C**ontra omnes debet vassallus dominum adiuuare, etiam contra fratrem & filium & patrem, nisi contra alium dominum antiquorem. Hic enim ceteris est præferendus.

## Ex §. PRÆTEREA. IN CAP. COR.

**C**onstituit Corradus in hostenducijs petendis ut liceat dominis hostendicias petere nulla præscriptione obstante. Hostendiciae dicuntur, adiutorium quod faciunt vassalli dominis Romam cum Re-

ge in hostes prosequentibus, quando cum eis non vadunt. Verbi gratia in Lombardia duodecim denarios de modio: in Teutonia tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum solummodo eius anni quo hostem faciunt.

**E X L. IMPERIALEM. DE PRO H. FEV. ALIE.  
PER FRIDER. IMP. FRID.**

**F**Irmiter etiam statuimus tam in Italia quam in Alamania, ut quicumque indicta publice expeditione vocatus à domino suo in eadem expeditione spatio competenti venire temere supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium redditus feudi vnius anni domino non subministrauerit, feudum quod ab episcopo vel ab alio domino suo habuit, amittat, & dominus feudi in usus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem.

**E X T I T. DE PACE IVR. FIRM.**

**V**T æquitas quæ in paribus causis paria iura desiderat, per vniuersitatem totius Imperij serueratur, firmiter statuimus tam in Italia quam in Alamania, ut quicumque indicta publice expeditione Romanam ad suscipiendam Imperij coronam regem, aut sub rege dominum suum non adiuuauerit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiae persoluendo, si de vocatione legitima à domino suo conuinci per comparcs suos potest, feudum per-

dat, & dominus in usus suos illud redigendi liberam habeat facultatem.

## T I T. X.

## De vassallo non præstante fidelitatem domino &amp; heredi eius.

Ex §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AMIT.

**S**T & alia ingratitudo notanda, si dominus in uestituram pollicendo vassalli fidelitatem petierit, & illo non præstante, dominus tribus vicibus, conuenienti tempore, interposito forte septem dierum spatio, ad curiam suam super hoc clamauerit, & vassallus tribus vicibus à suis paribus citatus iurare noluerit: si tamen tale beneficium sit ut iusurandum fidelitatis fieri debeat.

Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXT.

**S**I cui militi fidelitas à domino requisita fuerit, dominus secundum quosdam librum militi ostendere debet, & miles eam facere debet, vel parium laudationi intra annum stare. Quod nisi factum fuerit, miles secundum quosdam de beneficio damnari potest. Quod contra præceptum domini Lothari regis datum Papiæ videretur. Euenit autem aliquan-

do, ut vassallus dicat domino se facturum fidelitatem secundum quod pares iudicauerint, & tunc beneficium non perdit, si stat per dominum quod curiam non faciat. Librum etiam ostendi, non necessitate, sed voluntate fieri solet. Est enim quiddam fidelitatis memoriæ causa.

## EX §. I. QVÆ FVIT PRI. CA. BENEF. AMIT.

**A**lia causa beneficij amittendi hæc fuit: & adhuc in plerisque locis & curijs obtinet, sed in nostra Mediolanensi curia non obtineret, quod si vassallus per annum & diem domino suo mortuo steterit quod heredem domini sui inuestituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratu[m] existens beneficium amittit. Et contra si domino superstite vassallus decésserit, & filius eius per iam dictum tempus inuestituram petere neglexerit, eo beneficio carebit.

## EX CAPITVL. CORRADI.

**H**Æc sunt capitula quæ fecit rex Corradus in Rōcalia. Constituit enim, ut si post mortem domini vassallus, vel post mortem vassalli eius heres per annum & diem steterit quod dominum vel eius heredem non adierit fidelitatem pollicendo, & inuestituram petendo, si tale sit beneficium ut fidelitas præstanda sit, id perdat, sicut antiquitus fuit consuetudo: Sed non Mediolani.

EX TIT. QVO TEMP. MILES INVESTIT.  
PETERE DEBET. IMP. LOTH.

**S**ancimus ut nemo miles vltra annum & mensem vadat, quod inuestituram beneficij sui à filio vel successore domini sui non petat, vel post mortem domini sui vel patris sui, vel alterius cui succedere debet, nisi iusta causa interuenierit quare non petierit, veluti mortis, vel capitalis inimicitiae, vel infantia, vel etiam iusta absentia: & si, vt prædictum est, non petierit, damnetur.

EX TIT. DE PROHIB. FEV. ALIEN. PER  
LOTHAR.

**Q**uoniam inter dominum & vassallum nulla fraus nec quodus malum ingenium debet interuenire, idcirco per hanc præsentem legem sancimus, si vassalus non dolose per annum & diem steterit quod à domino sui beneficij inuestituram non acceperit vel petierit, ob hoc feudum non amittat. Dolus enim abesse videtur si iusta causa impediente steterit.

Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTR.

**I**n ter dominum & vassallum nulla fraus esse debet: & inde potest concipi, quod si vassalus non dolose steterit per annum quod inuestituram sui beneficij non petierit, non damnabitur. dolus enim abest,

abest, si iusta causa impidente steterit; vel etiam cum amore domino conscientia seruitum fecerit.

## EX L. IMPERIALEM. DE PROHIB. FEV.

ALIEN. PER FRID.

**S**i quis infeudatus maior quatuordecim annis sua incuria vel negligentia per annum & diem steterit, quod feudi inuestituram à proprio domino non petierit, transacto hoc spatio feudum amittat, & ad dominum redeat.

Ex §. QVI CLERICVS. SI DE FEV. FVERIT  
CONTROV.

**E**t si vasallus omni anno non se domino representet, feudum non amittit.

## Ex §. SYMMOPERE. IN CAPIT. EXTRAORD.

**Q**vicunque fidelitatem facere paratus est dominus suo, prout pater fecerat patri vel antecessori domini sui; dum tamen haec bona fide & non dolose dicat, sed iusto errore, omnino condemnari non potest.

## Ex §. QVI CLERIC. SI DE FEVDO FVE. CONTRO.

**O**mnes filii eius qui feudum acquisiuit fidelitatem facere debent, maxime si in diuisum habent. Quod si feudum ex diuisione ad unum tantum peruenit, ille solummodo fidelitatem faciet.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAOR.

**C**Vm plures fratres vassalli paternum beneficium habent, donec id indiuisum possident, vna fidelitas & vnum seruitium domino fieri debet. Sivero partitum fuerit, quot partes, tot fidelitates erunt. Seruitia vero pro partibus, ne uno primo videantur grauiora, sed pro quantitate beneficij moderanda. Plures autem domini, et si feudum inter se diuidant, tamen nullo modo nisi vnam fidelitatem ex feudo habere poterunt. Seruitium vero omnibus non grauitate sed moderamine est faciendum.

EX §. IMPERIALEM. DE PROHIB. FEV.  
AL. PER FRID.

**O**MNES qui feudi partem habent iam diuisi vel diuidendi, fidelitatem faciant. Ita tamen ut vassallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur.

## EX TIT. DE PROHIB. FEV. ALIEN. PER LOTHAR.

**S**Atis bene dispositum ad utilitatem regni, & perniciosa pestem destruendam inferere in scriptis curauimus. Quidam miles, prout est solitus, à duobus dominis bina beneficia acquisiuit, qui decedens duos reliquit filios; qui paterna beneficia inter se diuidentes, alter eorum suo domino pro beneficio quod ad eum peruenit, fidelitatem nullo ante-

posito sicut pater fecerat fecit. Alter vero frater pro suo beneficio alteri domino suo similiter , quia nullum alium dominum habere videbatur , nullo anteposito fidelitatem fecit: defuncto posteriori fratre sine filijs, utique feudum in vnam, ut prius, personam peruenit , & sic dominus talem fidelitatem querit, qualem eius frater fecerat: Quas alter rationes amputantes fancimus, quod frater fecit superstiti nihil obesse; licet in secundam & tertiam generationem , & usque in infinitum, si hoc actum est, peruerterit.

Ex §. SI MINORI. SI DE FEV. FVE. CONTROV.

**S**i quis decesserit impubere relicto, nec ipse nec aliis pro eo fidelitatem facere cogitur. Idem de personali seruitio. Alius tamen pro eo seruitum faciens admittetur.

## De Vassallo feudum alienante,

Ex §. I. QVÆ FVIT PRI. CAV. BENEF. AMIT.

**N**ON ex omni causa ex qua opinio vassalli grauatur, beneficium amittitur. Nam saepe deferat, & nihilominus beneficium retinet : vt puta, qui portionem beneficij absque scientia domini alienat, beneficium quidem retinet , sed fidem promissam seruare non videtur.

## Ex §. I. DE ALIEN. FEVDI.

**S**i clientulus voluerit partem feudi sui alienare, id est medietatem, sine voluntate dominisui, poterit hoc facere. Ulterius progredi non poterit: secundum verum & iustum usum. Alioquin & feudum amittit. & quod actum est non valebit. Mediolanenses vero irrationabiliter considerantes dicunt, clientulum posse etiam totum feendum sine voluntate domini alienare. Quod dictum est, alienare, intelligas de libello.

## Ex TIT. DE ALIEN. FEV.

**S**i aliquis de capitaneis, vel maioribus valvasoribus, vel minoribus suum beneficium, siue totum, siue partem alienauerit, & ipse vel eius heres sine herede decesserit, quia beneficium senioribus aperitur, totum hoc quod fecit reuocari debet.

## Ex §. I. QVIB. MODIS FEV. AMITT.

**S**i duo fuerint fratres, & unus inuestituram feudi acceperit, si paternum feendum cum fratre diuiserit, & ille qui feudi partem acceperit, postea plus medietate vendiderit, & sine herede legitimo decesserit, feendum ad dominum reuertitur.

## Ex §. I. DE SVCCESS. FEV.

**H**oc quoque obseruatur, ut si frater meus partem suam feudi alienauerit, nihilominus si mo-

rietur sine herede masculo, reuertitur ad me: Et olim obseruabatur hoc usque ad quartum gradum tantum secundum quosdam. Hoc ideo quod non vocatur paternum: alij autem usque ad septimum gradum.

## Ex §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**i alter ex fratribus qui paternum beneficium habet suam portionem domino vel alicui extraneo dederit, dominus vel extraneus tamdiu teneat pro beneficio, sine preiudicio, quādiu ille qui dedit heredem masculum habeat. Si vero sine herede deceperit alter filius, frater eius, si vixerit, sine ullo obstacle & temporis prescriptione beneficium, quod hereditarium est, à quocunque possidente vindicet. Idem dicimus & si plures fratres fuerint, & alter ab altero ex confratribus acquisierit, hoc enim verissimum ex usu comprobato dicimus.

## Ex §. INVESTITURA. PER QVOS FIAT INVEST.

**S**i quis ex agnatis tuis rem, quę à communi parente per successionem ad eum peruenit, alienare voluerit, non permittitur ei secundum antiquam consuetudinem alij eam vendere, nisi tibi, vel alij proximi oriproæquali pretio accipere volenti.

## Ex tit. SI DE FEV. CONTROVER.

**T**iti filios masculos non habens partem feudi sui Seio, partem eiusdem feudi possidēti agna-

to suo concessit. Sempronius proximior agnatus, mortuo demum Titio partem illam feudi nullo dato pretio recuperare potest. Quod si Titius filium haberet, pretio redditio etiam viuo Titio.

## Ex CAPITVL. EXTRAORD.

**S**Vmmiopere in scriptis madare curauimus, quod si quis aliquem de beneficio inuestierit, ille qui inuestitus fuerit, non potest ut proprium vendere, nec pro leuissima re locare, nec in feudum dare; nisi maiorem partem apud se retinuerit, & si in disputatione filiorum fuerit, nulla ratione, nec quolibet modo dare potest. Quæ omnia si facta fuerint, nullius momenti erunt, & omnia ad priorem dominum revertuntur.

## Ex §. 1. QVIB. MODIS FEV. AMITT.

**S**I vassallus libellario nomine amplius medietate feudi dederit, aut pro pignore plus medietate obligauerit, ita ut transactum permittat, vel dolo hoc egerit, feudi amissione mulctabitur, & his casibus feendum ad dominum reuertitur. Rursus si fidelis minus medietate libellario nomine dederit vel pignori obligauit, & sine herede decesserit, & sic feendum ad dominum redierit, vel postquam ad libellum dederit vel pignori obligauerit domino refutauerit, tunc ille qui ab eo acceperit nullo iure aduersus dominum tueri se potest.

## Ex §. I. DE ALIENAT. FEV.

**S**i clientulus libellum vel aliud de medietate feudi sine domini voluntate fecerit, eo mortuo sine herede masculo, quod verbum in feudo ita intelligendum est, sine filio masculo, feudum ad dominum reuertitur.

## Ex §. I. QVIB. MO. FEV. AMITT.

**S**i quis feudum in curte domini sui habuerit, quod vulgo feudum de camera appellatur, non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine cōsensu domini sui dare, vel pignori obligare. Similiter si extra curtem tenuerit, & dominus districtum habuerit vel alium honorem, & alienauerit sine domini voluntate, iure ad dominum reuertitur.

Ex §. I. QVALITER POT. OLIM VASSAL.  
FEV. ALIEN.

**N**ecessitate suadente poterat olim vassalus inscio domino vel inuito feudi partem alienare & vendere, retenta videlicet alia parte; Donare autem, aut pro anima iudicare, vel in dotem pro filia dare, nullius curiae consuetudine poterat. Si autem vel in totum vel in partem voluerat per feudum aliquem inuestire, licebat ei hoc facere sine fraude. Sed & vassallus olim locare poterat, nisi locatio esset fraudulenta alienatio, sicut est per libellum, ut dicatur

venditio. Quis enim dubitat quod libellario nomine sub vilissima duorum denariorum pensione perpetuo conceditur vtendum, in fraudem alienatum esse? Si autem domino dissentiente vendebat, siue per feudum inuestiebat, quod & ipsum hodie sincere & sine fraude facere ei licet, tunc omnis feudi alienatio reuocabatur. Si modo sine herede masculo descendeunte decedebat, vel feudum in manu domini sui refutabat, vel alia forte ratione vel culpa amittebat: eo excepto, quod ille qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat, si priori domino seruire, & ab eo feudum recognoscere volebat. Porro siue de bona consuetudine, siue de prava queramus, concessa erat domino pro æquali pretio redemptio; nisi amiserat hoc ius per refutationem vel annali silentio, ex quo scierat, computando. Praescriptione autem trigintaannorum tam sciens quam ignorans submovebatur. In prohibendo autem vel redimendo potior erat proximi agnati quam domini conditio: si tamen feudum paternum erat.

EX TIT. QVALITER POTER. OLIM FEV. AL.

**E**Sta utem optima consuetudine interdicta feudi alienatio, super quam multæ & diuersæ in singulis ciuitatibus seu curijs dabantur sententiæ, donec Lotharius imperator diuina gratia super hoc nouam constitutionem promulgavit quæ posita est in titulo de beneficijs.

Ex

## EX TIT. DE PROHIBITA FEV. AL. PER LOTHAR.

L Otharius diuina gratia totius Romanorū imperator, pius felix inclitus triumphator, & semper augustus vniuerso populo. Imperialis benevolentia proprium esse iudicamus, cōmoda subiectorum inuestigare, & eorum calamitatibus diligentia cura mederi, & similiter rei publicae bonum statum ad dignitatem imperij omnibus priuatis cōmodis præponere. Quo circa omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum nouerit vniuersitas, quater dum apud Ronchalias secundum antiquorum imperatorum consuetudinem pro iustitia ac pace regni componenda confederemus, omnia quæ ad honorem Imperij Romani spe & care videntur solicite indagantes, pernitiosam pestem & rei publicae non mediocre damnum inferentem refecare proposuimus. Per multas etenim interpellationes apud nos factas didicimus, milites passim beneficia sua distrahere, ac ita omnibus exhaustis suorum seniorum servitiae subterfugere, per quod vires imperij attenuatas maxime cognouimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficijs exutos ad felicissimam nostri muneric expeditionem minime valeant transducere. Hortatu itaque & cōsilio archiepiscoporum, ducum, marchionum, comitum, palatinorum, ceterorumque nobilium similiter & iudicium hac editat ilege in omne æuum deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, quæ à suis senio-

ribus habeat, absque ipsorum permisso distrahere, vel aliquod comercium aduersus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod imperij vel dominorum vtilitas minuatur. Si quis vero cōtra huius nostræ saluberrimæ legis præcepta ad huiusmodi illicium commercium accesserit, vel aliquid in fraudem legis machinari tentauerit, pretio ac beneficio se caritatum cognoscat. Notarium vero qui super tali contractulibellum vel aliud instrumentum conscripscerit post amissionem officij infamiax periculum sustinere facimus.

## EX TIT. DE FEV. SINE CVL. NON AMITT.

**I**mperator Lotharius. Si quis miles beneficium suum totum vendiderit sine iussu domini, decernimus ut proprium beneficium amittat, dominus vero habeat.

## EX §. DO. DE CONTROV. INTER. DO. ET EMPT.

**Q**uod dicitur de venditione, idem est in omnibus alienationibus.

## EX TIT. DE VASS. QVI CONTRA CONST. LOTH.

**S**i vassallus contra constitutionem Lotharij regis beneficium alienauerit; si totum, perdit totum; si partem, perdit partem, & ad dominum reuertitur.

Ex §. DENIQVE. QVÆ FVIT PRI. CA. BEN. AMIT.

**S**i vassallus contra constitutionem bonæ memorie Lotharij imperatoris beneficium alienauerit, quia dominum contemnere videtur, beneficium ad dominum pertinet. Scriptum est enim ut pretio ac beneficio se caritatum cognoscat.

Ex TIT. SI DE FEV. CONTROV.

**S**i vassallus feudum alienauerit ignorans non domino, sed ipsi vassallo feudum restituendum est: ad interesse vero emptori ignorantivassallus est condemnandus.

Ex TIT. DE CONTROV. INTER DO. ET EMPT.

**D**omino cum emptore feudi agente, si vassallus iurare poterit quod ignorans esse beneficium vendidisset, credens esse proprium, electioni emptoris committitur, vtrum ipsum velit domino cedere, an vassallo restituere. Quo restituto, id beneficium vassallus retinebit, non nocente venditione, eo quod ignorans alienasset. Et quod dicitur feudum alienatione domino aperiri, intelligendum est cum à scientibus beneficium venditur.

Ex §. I. DE ALIENAT. FEVDI.

**S**i vasallus cum domini voluntate totum vel medium feudum alienauerit, stabilis alienatio manet.

H ij

## EX TIT. DE ALIE. FEV. PATER.

**A**lienatio feudi paterni non valet, etiam domino volente: nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandocumque sit reuersurum.

## EX §. TITIVS. SI DE FEVD. FVE. CONTROV.

**S**i agnatus proximior consenserit alienationi, vel per annum ex quo sciuit, tacuit, omni modo remouebitur.

## EX §. I. DE ALIEN. FEV. PATER.

**L**icit prohibeatur beneficij alienatio, tamen inter agnatos si est paternum conceditur.

## EX §. I. DE ALIEN. FEV.

**A**lienatio facta fratri vel nepoti per libellum, valet.

## EX §. I. DE ALIENAT. FEV. PATER.

**S**i libellum unus agnatus alteri de feudo paterno fecerit, non est libellus, sed quasi refutatio.

## EX §. I. DE ALIENAT. FEV.

**S**i clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui ecclesię, non valet: ideo scilicet, quia nunquam reuersurum esset ad dominum, cum ecclesiæ non desinat heres esse. Quod obseruandum

est in priuato ex natura perpetui libelli. Sed diuersum obseruatur in ecclesia quam in priuato. Ecclesia cultrix & auætrix iustitia non patitur aliquid contra iustitiam fieri in se vel in alterum : priuatus vero saepe obuiat iustitiae.

## Ex §. INVESTITURA. PER QVOS FIAT INVEST.

**R**es cuius alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur: nisi in casu, vt ecce res quæ à communi parente prouenit, alienari non permittitur, nisi proximiori emere volenti; & tamen per feudum cuilibet dari potest, nisi fiat in fraudem huius nostræ consuetudinis, vel legis nouæ bonæ memoriarum Lotharij imperatoris; Si quod pretium dederit is qui inuestituram suscepit. Tunc enim rescissa inuestitura redditioque à te, vel ab alio proximiore, pretio, rem tibi restituere compelletur.

## Ex TIT. SI DE FEVDO FVER. CONTROVERS.

**B**eneficium in feodium à vasallo, si nihil in fraudem legis fiat, recte dari potest dummodo militi detur.

## Ex §. SI INTER PARES. DE LEGE CORR.

**L**Icet vasillus sine voluntate domini feodium non alienet, in feodium tamen recte dabit. Si tamen secunda persona talis sit, quæ feudo seruire possit, vt si dans miles est, & ille qui accipit feodium miles inueniatur; ad hoc, vt si contigerit similiter domino ser-

uire, vt prior, possit.

Ex §. SI INTER PARES. DE LEGE COR.

**V** Assallo liceat feudum dare alteri in infinitum.  
In quibusdam tamen curijs vltra tertiam personam feudi concessio non extenditur: vt cum feudum peruenit in quartam personam, ei auferre dominus possit.

Ex §. SI INTER PARES. DE LEGE CORR.

**I**lle qui suum beneficium alij dat in feudum, non debet ei alia lege dare, nisi qua ipse habet: vt si habet sibi suisque heredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alij dare vt habeat ipse & sui heredes masculi & feminæ. Vnde quibusdam placet vt eo ipso feudum amittat. Obertus & Gerardus. Alij vero dicunt, & qui dederit, & cui datum est, beneficium perdit. Secundum vero alios tunc domino aperitur, quando masculi defecerint.

EX TIT. SI DE FEVDO EVER. CONTRO.

**F** Eudum ea lege datum vt ipse heredesq; sui masculi & feminæ, & cui dederit, habeant, iisdem culpis amittitur, quibus & aliud feudum. Quod si vasfallus alienauerit, feudum apud emptorem esse definit.

## EX TIT. DE FEVDO NON HAB. PROP. FEV. NA.

**S**I quis ealge feudum alicui dedit, vt ipse suique heredes, & quibus ipse dederit, habeat, iste qui sic accepit poterit ipsum vendere, donare, vel aliter si sibi placuerit etiam sine domini voluntate alienare. Et ille cui datum fuerit non habebit id pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercumque ei datum fuerit, siue ad proprium, siue ad libellum, licet propriam feudi naturam non habeat, iure tamen feudi censabitur, vt ex ipsis causis, quibus & verum feudum, amittatur. Vbi ergo sic datum est feudum, & cui dederit in feudum aliud est, & propriam feudi naturam habet.

## EX TIT. QVID IVRIS SIT SI POST ALIENA.

**S**I vassallus ante constitutionem Lotharij regis feudum alienabat, quod in quibusdam curijs olim pro parte, in quibusdam pro toto licebat, & ipsum postea recuperabat, proprius feudum sibi retinebat, & in causam feudi recadebat. Hodie autem si id alienauerit, si quidem illicite, licet postea recuperauerit, tamen penes eum non remanebit, vtpote domino apertum, ad quemcunque deuenerit. Profecto si domini voluntate vendidit, vel per libellum vel aliter alienauit, si postea idem recuperauerit, id feudum penes ipsum vassallum remanebit, non tamen iure beneficij, sed aut proprio, aut pro libello, aut aliter secundum quod idem recuperauerit: dum modo

scias, quod si ad libellum, domini voluntate id dederit, si quidem pro libello ei dantur forte singulis annis quinque, hoc iure feudi censembitur. Illud vero ius quod per libellum transstulit & postea recuperauit, pro beneficio non tenebit. Sed velut alterius rei in libellum datæ ac si feudum domino refutauerit libellum retinebit.

## EX TIT. DE PROHIB. FEVDI AL.

**H**edericus Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus vniuerso populo. Imperialem decet solertiam ita rei publicæ curam gerere, & subiectorum commoda inuestigare, ut regni vtilitas incorrupta persistat, & singulorum status iugiter conferuetur illæsus. Qua propter dum ex prædecessorum nostrorum more cum vniuersali curia Ronchalię pro tribunali sederemus, à principibus Italicis, tam rectoribus ecclesiarum quam alijs fidelibus regni, nō modicas accepimus querelas quod beneficia eorum & feuda quæ ab eis tenebantur vassalli sine domini licetitia pignori obligauerant, vendiderant: & quadam collusione libelli nomine vendiderant: vnde debita seruitia amittebantur, & honor imperij & nostræ expeditionis complementum minuebatur: habito ergo consilio episcoporum, ducum, marchionum, & comitum, similiter etiam palatinorum, iudicum & aliorum procerū hac editali lege Deo propitio perpetuo valitura sancimus, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere vel pignorare, vel quo-

quomodo cumque distrahere seu alienare , vel pro anima iudicare sine permissione illius domini ad quē feudum spectare dignoscitur. Vnde imperator Lotharius, tantum in futuro cauens, ne hoc fieret legem promulgauit. Nos autem ad pleniorē regni utilitatem prouidentes , non solum in posterū , sed & huiusmodi illicitas alienationes haētēnus perpetratās hac præsentī sanctiōne cassamus , & in irritū ducimus , nullius temporis præscriptione impediente: quia quod ab initio de iure non valuit, tractu temporis conualeſcere non debet. Seruata empori bone fidei actione de pretio contra venditorem competente. Calidis insuper machinationibus quorundam obuiantes, qui pretio accepto quasi sub colore inuestituræ quam sibi licere dicunt feuda vendunt , & in alios transferunt , ne tale figmentum vel aliud ylterius in fraudem nostræ constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus , pæna auctoritate nostra imminente , ut venditor & empor , qui tam illicitas alienationes contraxisse reperti fuerint,feudum amittant , & ad dominum libere reuertatur : Scriba vero qui super hoc instrumentum sciens conscriperit , post amissionem officij cum infamiæ periculo manum amittat. Præterea ducatus , marchia, comitatus de cetero non diuidatur. Aliud autem feudum, si confortes voluerint, diuidatur.

## EX CAPIT. CORRADI.

**C**onstituit Corradus ut liccat dominis alienationes feudi factas nulla obstante præscriptione reuocare.

## EX §. SI VASSAL. SI DE FEV. FVE. CONTRO.

**I**n generali alienatione vassalli non continetur feudum, nisi nominatim sit dictum.

## EX §. I. DE INVESTIT. DE RE ALIE. FAC.

**Q**uamvis ad vassallum beneficium pertineat, tamen proprietas ad alium spectat. Et ideo ratione tertiae, vel quartae quæ à Longobardis seu Romanis viris vxoribus fieri solet, post mortem viri ad mulierem nihil pertinet; quia nec pignus, quod consultum dicitur, ex feudo fieri potest.

## T I T. X I I.

De Domino feudum alienante,  
& euictione rei feudalis.

## EX §. SI INTER PARES. DE LE. CORR.

**D**ominus sine voluntate vassalli feudum alienare non potest. Quod Medionali nō obtinet. Ibi enim sine curia etiam totum beneficium recte alienatur: dum tamen

aut æquali domino aut maiori vendatur : inferiori vero , sine voluntate vassalli non licet . Nec licet partem alienare maiori , alia parte feudi retenta . Verbi gratia . Est vassallus qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet . Si partem feudi dominus in uno loco vendat , & in alio sibi retineat , iste non debet emptori seruire , sed proprio domino totum beneficium recognoscere . Cum curia vero cuicunque etiā rustico & sine voluntate vassalli beneficium alienare potest : dum tamen totum alienet . Obertus . Quidam alij , ut Gerardus , dicunt non valere , si fiat inferiori .

## Ex TIT. DE CAPIT. QVI CVR. VEND.

**Q** Vidam Capitaneus in quadam sua curte militibus beneficium dedit ; & postea eandem curtem vendidit non habita mentione beneficij : controuersia est inter capitaneum & emptorem ; emptore dicente se curiam cum beneficio emisse ; domino vero dicente beneficium ad illum non pertinere . Respondi , beneficium in venditione non contineri , nisi expressim de eo sit actum .

## Ex S. I. QVALITER OL. FEV. ALIEN. POT.

**D**E illa feudi alienatione quæ fit à domino , si dubitetur , lex Corradi consulatur , quæ est posita in titulo *de beneficijs* .

Ex L. LOMB. CAP. FIN. DE BENEFIC.

**M**odus omnibus prohibemus ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium aut precariam aut libellum facere, sine eorum consensu presumat. Illa vero quæ tenent proprietario iure aut per præceptum siue per precariam, nemo eos iniuste audeat diuestire.

Ex L. IMPERIALEM. DE PROHIB. FEV. AL.

**N**ec dominus feudum sine voluntate vassallo-  
rum transferat ad alium.

Ex TIT. DE PACE IVRAM. FIRM.

I M P. F R I D E R.

**S**i contigerit allodium aliquod infeudatum cōfer-  
ri ecclesiæ per oblationem fidelium, vel per em-  
ptionis & venditionis alteriusve huiusmodi contra-  
ctum, infeudatus, nisi per gratiam ecclesiæ tanquā de  
nouo recipiat, feudum quod habeat retinere non  
poterit. Qui vero allodium suum vendiderit, distri-  
ctum & iurisdictionem imperatoris vendere non  
presumat.

Ex §. 1. QVI SVCCES. TENE.

**S**i quis inuestitus fuerit pure de alieno feudo,  
inuestitura non valet.

## EX CAP. EXTRAORD.

**S**i quis nominatim de beneficio alicuius militis inuestiatur, inutilis est inuestitura: quia in de occultum & nequissimum homicidium posset oriri & perjurium & alia nephanda euenire possent. Vnde & si de beneficio alicuius, cum primo apertum fuerit, aliquis inuestiatur, cum propter hoc magis occultere malitia perpetrari possit, magis inutilis est inuestitura.

## EX TIT. QVO TEMPORE MILES.

IMP. LOTHAR.

**S**i quis dominus fecerit inuestituram vel cambiū de beneficio sui militis, sine consensu illius cuius est beneficium, hoc pro infecto habeatur.

EX TIT. DE FEVDO DATO IN VICEM  
LEGIS COMMISSORIÆ.

**S**i quis inuestierit aliquem de feudo sui militis, viri Placentini prorsus afferunt hanc iuuestituram aliter non valere, nisi eo consentiente cuius feudum erat. Mediolanenses vero & Cremonenses nihil distare assuerant vtrum eo consentiente an ignorantē, dummodo eo viuente nullum detrimentum de feudo sibi contingat. hoc autem dicendum est de eo milite, qui feudi successorem non habet.

I iiij

## E X T I T . S I D E F E V . C O N T R O . S I T .

**M**Oribus receptum est, dominum de feudo sui militis, quod post mortem ipsius militis ad dominium reuerti speratur, in alium militem inuestitaram facere posse. Et in tali inuestitura consensus eiusdem, de cuius beneficio feudum fit, exquiri non oportet. Quæ inuestitura tunc demum capiet effectum, cum feudum domino siue heredi suo fuerit apertum. Secus est in ecclesiasticis personis. Nam si ecclesiastica persona talem faciat inuestitaram, non aliter valebit, nisi sibi, non etiam successori suo feudum aperiatur.

## E X T I T . Q VI S V C C E S S . T E N E A T V R .

**S**i quis inuestitus fuerit de alieno feudo post mortem eius, vel si fuerit inuestitus sub conditione aliqua vel tempore quo nullus erit inuestitus, siue præmoriatur tenens feudum, siue inuestitor, siue inuestitus, inuestitor & heres inuestitoris tenetur inuestito vel eius heredi veniente conditione vel tempore. Licet alij dicant, si moriatur inuestitus antequam tenens feudum vel antequam existat conditio vel tempus, quod heres eius non debeat inuestiri. Hoc ita est, nisi inuestitura fuerit facta ab aliqua ecclesiastica persona. Tunc enim si præmoriatur inuestitor antequam feudum tenens, vel antequam conditio vel tempus existat, non obligatur successor. Et hoc probatur per legem Lotharij quæ incipit, *De pre-*

L I B E R S I N G V L A R I S.

carijs. & hoc intelligendum est de vassallis qui feudi successorem non habent.

Q V I S V C C E S S . T E N E A T V R .

S I Archiepiscopus, episcopus, abbas, abbatissa inuestituram eius feudi, quod alius detineat, eo tenore alicui dederit, ut post decepsum eius qui possidet, habeat, & ante decesserit archiepiscopus, quam ille qui feudum possidet, successores non tenentur eam inuestituram facere vel confirmare; etiam si parres curtis ad sint testes vel breue testatum inde sit, nisi ille qui inuestituram acceperit, nomine eius feudi in possessionem missus sit eo consentiente qui detinet. Sed si ille qui feudum possidet prius decesserit quam ille qui inuestituram fecit, iure cogitur eam ratam habere. Laici vero hisdem modis omnibus, quibus supra diximus, si alijs inuestituram dederint, heredes eorum, si rationibus claruerit, omni modo eam adimplere compellentur.

E X §. C L E R I C O . D E C L E R . Q V I  
I N V E S T I T V R A M F E C I T .

V Bi de alterius feudo clericus inuestituram fecit, si quidem pure, non valet. Sed si sub tempore vel conditione qua feudum sibi aperitur, valebit inuestitura, etiam sine volūtate vassalli facta. Si tamen ante decesserit inuestitor, quam feudum ad cum reuertatur, successor eam ratam habere non cogitur. Cum autem se viuente feudum apertum fuerit, pos-

sessionem tradat & inuestituram adimpleat.

**Ex §. SOMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.**

**Q**ui accepit inuestituram beneficij alieni, inutilis est inuestitura. Et qui sciens hoc agit, de euictione agere non potest.

**Ex §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.**

**G**eneraliter verum est de euictionibus, vt si quis sciens inuestituram beneficij alieni acquisierit, eo euicto nullam aduersus dominum actionem habeat: quoniam in acquirendo malam fidem habuit.

**Ex TIT. DE INVEST. DE RE AL. FACTA.**

**C**um de re aliena vel alij obligata sit inuestitura, illud distinguitur; utrum scienti an ignorantis facta sit. Qui enim rei alienæ sciens inuestituram accepit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de euictione agere non potest. Ignorans vero recte agit, vt aliud eiusdem bonitatis seu quantitatis ei præstetur. Sed in eo nulla est differentia, qui inuestituram fecit, an scierit, an ignorauerit.

**Ex §. I. SI DE FEV. VASSAL. INTER FVERIT.**

**S**uper negotio isto quod litteris insinuasti tale est sapientum nostræ ciuitatis consilium; videlicet Oberti de Orto & Gerardi Cagapisti; quod si vasfallus cum de feudo interpellabatur, auctorem suum, id est dominum, ut cum defenderet vocauerit, & hoc probare

probare possit, si in eo iudicio vassallus victus fuerit se de realiena inuestitum fuisse, dominus vassallo feudum eiusdem extimationis quod erat tempore rei iudicatae restituat, vel nummos in feudum dandos numeret. Et hoc cum certum est vassallum de feudo vietum ferre.

## EX §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**i quis feudum alienum ab aliquo bona fide iusta traditione acceperit, licet verus dominus non sit, cum verus dominus in traditione putetur, longi temporis præscriptione sibi ius acquirit, Si vero malam fidem habuerit, nulla se poterit præscriptione tueri: nec etiam de euictione agere poterit.

## TIT. XIII.

## De alijs modis amittendi feudum.

## EX TIT. DE NATVRA FEVDI.

**N**ATVRA feudi hæc est, vt si princeps inuestierit capitaneos suos de aliquo feudo, non potest eos sine culpa disuestire: id est, marchiones & comites & ipsos qui proprie capitanei appellantur. Idem iuris est si inuestitura facta fuerit à capitaneis & maioribus valvasoribus, qui hodie proprie capitanei appellantur. Si vero facta fuerit à minoribus

vel minimis valuaforibus, aliud est. Tunc enim deuestiri possunt, non habita ratione culpæ; nisi hostem Romæ fecerint. tunc enim idem est in minimis quod in maioribus valuaforibus: vel nisi emerint; tunc enim pretium est restituendum, secundum antiquum & rationabilem usum. Moderni autem non ita subtiliter discernentes, dicunt, idem obseruandum in minimis quod in maioribus valuaforibus est dictum.

**E X T I T . Q V I F E V D . D A R E P O S S V N T .**

**N**otandum est, quod illud beneficium quod à regis capitaneis atque à regis valuaforibus impeditur proprie iure feudi censetur. Illud vero quod a minoribus in alios transfertur, non iure feudi iudicatur, sed quando voluerint, recte auferre queunt: nisi Romam in exercitu cum illis iuerint, vel aliquid propter feudum acceperint. Tunc enim nisi restituto pretio, auferre non possunt. Sed aliter in curia Mediolanensi obseruatur.

**E X T I T . D E F E V . D A . M I N I . V A L V A S .**

**S**i minores valuafores tollere voluerint beneficiū minimis, liceat eis: excepto si beneficium venderint eis. Si enim de beneficio pretium acceperint, tunc aut pretium reddant, aut beneficium dimittantur.

**E**x §. SIMILITER. DE CONTEN. INT. DO. ET VAS.

**I**n super sciendum est feudum guardiæ & castaldiæ quacumque hora vult posse per dominum auferri: scilicet post annum.

**E**X TIT. DE FEVDO GUARDIÆ.

**I**llud quod datur nomine guardiæ vel castaldiæ, & pro mercede alicuius rei, transacto anno potest iure auferri, etiam pretio pro eo dato non restituto, nisi ad certum tempus datum fuerit.

**E**x §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**Q**uod nomine guardiæ vel castaldiæ in feudum datur, ablata guardia vel castaldia, iure auferri potest.

**E**x §. SVMMO PERE IN CAP. EXTRAORD.

**V**t inter conditionalia & non conditionalia feuda sit aliqua differentia, dicimus, ut si quis alicui dederit beneficium conditionale, vt pote quod datur propter habitationem, deserta habitatione beneficium amittatur. Et etiam quod certo constituitur servitio, non poterit retineri beneficium.

**E**x §. SVMMO PERE IN CAP. EXTRAORD.

**F**evda scutiferorum, vt ad libitum dominorum adimi possint, rationis non est, dum tamen servant secundum laudationem curiæ.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**V**Num quidem non minus vtile sed satis congruum superioribus annexere & comprobato vnu in scriptis bono arbitrio reducere curaui. Si quis igitur pro villicaria, & vt ita dicam, pro decania, vel alijs quibuscumque angarijs feudum quidem quod improprium est acceperit, nisi specialiter hoc actum sit inter contrahentes, vt à nominatis in feudo non liceat domino auferre quod datum fuerat, etiam si administratio illa eis auferatur, quod datum est penitus ablata administratione sine omni obstaculo auferri licet.

## EX TIT. QVIS DICATVR DVX.

**S**Oldata autem à neutra parte transit in heredem. Morte enim dantis vel accipientis finitur.

## EX TIT. QVIB. MO. FEV. CONSTIT. OPORT.

**S**I dominus qui inuestiuit forte sit clericus, & contingit ut ante moriatur quam vassallus possessio nem eius feudi nanciscatur, exinanitur feendum. Quod generaliter in omnibus clericis qui feendum dant obseruatur.

## EX TIT. SI DE FEVDO CONTROV. SIT.

**V**Assallus, si feendum, partemve feudi, aut conditionem feudi ex certa scientia fuerit inficiatus, & inde fuerit conuictus, eo quod abnegauit feendum vel

eius conditionem, feudo expoliabitur. Alius autem vassallus quamuis hoc sciens non patefaciat, feudum retinet. At si aliam rem domini vassallus celauerit, feudum tamen non amittit.

## EX TIT. SI DE FEV. CONTROV. SIT.

**V**assallus feudum quod sciens abnegauit, amittit. Ignoranti vero subuenitur. Quod si dubitet, dubitanter respondere debet.

## EX LEGE CORRA.

**S**i fuerit inter dominum & vassallum de beneficio controuersia, domino dicete, *Hoc quod tenes à me in feudum habes*, Ille vero negauerit; Si quidem prorsus & ei probatum fuerit, ipsum ab eo auferatur. Sed cum dubitanter respondet, *Nescio*, minime; secundum quosdam. Sed secundum alios, tunc demum eo priuabitur, si fraudulenter, id est sciens, hoc negauerit.

## EX S. I. EPISCOP. VEL ABBAT.

**M**vtus feudum retinere non potest; scilicet qui nullo modo loquitur. Sed si feudum magnum fuerit, quo ei ablato se exhibere non valeat, tantum ei relinquendi debet unde se retinere possit. Et his omnibus casibus feudum amittitur, & ad dominum reuerritur.

EX TIT. AN MVTVS VEL AL. IMPERI.

**M**vtus, surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiam si sic natus fuerit, feudum totum paternum retinebit. Obertus & Gerardus, & multi alij. Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus est, feudum retinere non posse: quia ipse seruire non vallet, sicut dicimus in clerico & femina & similibus?

EX TIT. SI DE FEV. CONTROV. SIT.

**Q**uiclericus efficitur, aut votum religionis assument, hoc ipso feudum amittit.

EX TIT. DE MIL. VAS. QVI AR. BEL. DEPOR.

**M**iles qui beneficium tenebat, cum esset sine liberis, venerabilem domum intravit, & seculo renuntiando arma bellica depositit habitumque religionis assumpsit, & sic conuersus effectus est; hic donec vixerit, feudum retinere conatur, quod ipsum dominus vel agnatus sibi pertinere contendit. Sed iudicatum est conditionem domini vel agnati potiore esse. Qui enim factus est miles dei, desijt esse miles seculi. Nec pertinet ad eum beneficium, qui gerere non debet officium.

EX TIT. DE VAS. QVI CONTRA CONSTIT. LOTH.

**V**Assallus etiam sine domini voluntate recte feudum refutare potest. Et si voluerit vnius solius partē refutare, alijs sibi reseruatis, poterit hoc facere,

Post refutationem tamen ad seruendum quidem non tenetur. Sed eum offendere non debet.

Ex §. I. IN CAP. EXTRAORD.

**S**IVNUS vassallus domino refutauerit, non præiudicat ceteris.

T I T. X I V.

De successione feudi.

EX LEGE LOMB. DE BENEFI.

**N** nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Corradus dei gratia Romanorum imperator Augustus, Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris tam præsentibus quam futuris notum esse volumus quod nos ad reconciliandum animos seniorum & militum, ut ad inuicem semper inueniantur concordes, & vt fideliter & perseueranter nobis & senioribus suis deuote seruiant, præcipimus & firmiter statuimus vt nullus miles episcoporum abbatuum abbatisarum marchionum vel comitum vel omnium qui beneficium de nostris publicis bonis aut ecclesiarum prædijs nunc tenent aut tenuerint, vel hactenus iniuste perdidierunt, tam de nostris maioribus valuatoribus quam eorum minoribus, sine certa & conuicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum, & secundum iudicium parium suorum. Præcipimus etiam, ut cum

aliquis miles, siue de maioribus siue de minoribus, de hoc seculo migrauerit, filios eius beneficium teneat. Si vero filium non haberit, & abiaticum de filio masculo reliquerit pari modo beneficium habeat, seruato vsu maiorum valuaforum in dandis equis & armis suis senioribus. Et si forte abiaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte patris haberit, beneficium, quod patris suifuit, habebit. Si quis vero hanc iussionem nostram infregerit, auri optimi libras centum componat, medietatem cameræ nostræ, & medietatem illi cui damnum fuerit illatum.

EX C O N S T I T U T . F E V D A L . D O . L O T H A .  
I M P . L O T H A R I V S .

**S**i quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, & nepotem reliquerit, de beneficio aui in vicem patris succedit. Et si heredem vel fratrem reliquerit, in patris beneficium ipse succedit. Et si filius fratri mor- tuus fuerit, frater patris in beneficium aui defuncti succedit.

Ex tit. Q vi FEVD. DA. POSSVNT.

**L**icit antiquissimo tempore sic erat feudum in dominorum potestate connexum, vt quando vellent, possent auferre rem in feudum à se datam: tamen postea eo ventu est, vt per annum tantum firmitatem haberet, deinde statutum est vt usque ad vitam fidelis produceretur. Sed cum hoc iure successionis ad filios nō pertineret, sic progressum est, vt ad filios deueniret

ueniret, in eum scilicet, in quem dominus vellet hoc beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes æqualiter pertineat. Cum vero Corradus Romanus proficeretur, petitum est à fidelibus qui in eius seruitio erant, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & ut frater fratri sine legitimo herede defuncto in beneficium, quod fuit patris eorum, succedat. Si autem unus ex fratribus à domino feudum acceperit, eo defuncto sine legitimo herede, frater ei in feudum non succedit. Quinetiam si communiter acceperint, unus alterius non succedit: nisi hoc nominatum dictum sit, Scilicet ut uno defuncto sine legitimo herede alter succedit. Herede vero relicto, frater remouebitur. Hoc quoque sciendum est, quod beneficium ad venientes ex latere ultra fratres patruelles successione non progreditur, secundum usum ab antiquis sapientibus institutum, licet moderno tempore usque ad septimum gradum sit usurpatum. Quod in masculis descendentibus hodie novo iure infinitum extenditur. Notandum autem est, quod licet filiae ut masculi succendant, legibus tamen à successione feudi remouentur, & earum filii; nisi specialiter dictum sit ut ad eas pertineat.

## EX TIT. DE GRAD. SVCCED. IN PEVD.

**P**er successionem quoque sicut per investituram beneficium ad nos pertinet. Mortuo enim eo qui beneficium tenebat, prima causa est liberorum. Filiis

enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, & deinceps per masculinum sexum descendantibus, ceteri agnati remouetur. Ad filias autem, neptes seu proneptes, vel ex filia nepotes seu pronepotes successio feudi non pertinet. Proles enim feminini sexus, vel ex femineo sexu descendens ad huiuscmodi successionem aspirare non potest; nisi eius conditionis sit feudum, vel eo pacto acquisitum. His deficientibus vocantur primo fratres cum fratribus premortuorum filijs; deinde agnati ulteriores. quod ita intelligendum est, si beneficium sit paternum: hoc est, si fuerit illius parentis, qui fuit eius agnationis communis. Si enim Titij auus fuerit de beneficio nouo inuestitus, Titio sine herede legitimo masculo defuncto eiusdem feudi successio non pertinet ad eiusdem Titij patrum magnum, nec ad prolem ex eo descendente: imo ad dominum reuertitur. Ad agnatos autem beneficij successio non pertinet.

## EX §. I. DE SYCCES. FEVD.

**S**i quis deceperit filijs & filiabus superstribus, succedunt tantum filij aequaliter vel nepotes ex filio in locum sui patris. Hoc quoque obseruatur, vt si frater meus de sua parte feudi fecerit inuestiri filiam suam: nihilominus, si morietur sine herede masculo, reuertitur ad me. & olim seruabatur usque ad quartum gradum tantum; secundum quosdam. Hoc ideo, quia postea non vocatur feudum paternum. Alij vero dicunt usque ad septimum gradum. Filia vero non succedit in feudum, nisi facta fuerit inuestitura in patrem

vt filij & filie succederent in feudum. Tunc enim succedent filiis non extantibus; vel nisi de feudo paterno fuerint inuestitae. In alio vero feudo quod habuerit initium tantum à fratribus, non succedit unus alteri, nisi expresse dictum fuerit ut alter alteri succedat, siue in una inuestitura siue in duabus inuestituris.

## EX TIT. DE NAT. SVCCE. FEVD.

**S**Vcessionis feudi natura talis est. Ascendentes non succedunt: verbi gratia, pater filio. Inferius vero filius patri succedit & non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit feminineum. tunc enim succedit filia patri & matri, secundum quosdam. Succedit nepos ex filio solus, & sic usque in infinitum, si feudum sit paternum.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**Q**uidam dominus beneficium reliquit, habens duos filios, & unusquisque ipsorum habuit duos vel tres filios; unus illorum fratrum deceperit una tantum filia reliqua; portionem illius non tantum ad superstites, sed ad patruum illius & posteriores pertinet dicimus.

## EX §. I. DE NATVRA SVC. FEVD.

**S**i quis habens beneficium quatuor filiis superstitibus decebat, & feudum ad unum solum ex divisione perueniat, & iste duobus vel tribus filiis suscep-  
tis decebat qui patrueles dicuntur, & ad unum eorum beneficium ex divisione perueniat, & iste similiter

-superstitibus filijs decedat, qui patruelles dicuntur, ad quorum vnum feudum similiter perueniat, & sic etiā ex alijs superioribus vel primis fratribus masculi supersint, si ille qui feudum habet decesserit, an ad omnes, vel ad quos, beneficium pertineat, queritur: Respondi, ad solos & omnes qui ex ea linea sunt, ex qua iste fuit. Ethoc est quod dicitur ad proximiores pertinere, Isti enim proximiores dicuntur respectu aliarum linearum. Sed omnibus ex hac linea deficien-  
tibus omnes alias lineæ æqualiter vocantur.

**E X T I T . D E F E V D O M A R C H I Æ .**

**S**I Capitanei vel valuafores maiores vel minores inuestifuerint de beneficio, filij vel nepotes ex parte filiorum succedunt: Si vero vnuis ex his filijs vel nepotibus sine descendantibus masculini sexus heredibus mortuus fuerit, prædicti fratres ac nepotes per inuestituram patris & avi in beneficium succedunt. Et similiter est intelligendum in consobrinis.

**E X T I T . Q V I S D I C . D V X M A R C . C O .**

**V**Aluafini, id est minores valuafores, antiquo quidem vsu nullam feudi consuetudinem habebant. valuafore enim sine filio mortuo, feudu quod valuafino dederat, ad capitaneum reuertebatur. Sed hodie eodem iure vtuntur in curia Mediolanensi quo & valuafores.

EX TIT. AN MARIT. SVCCE. VXO.

& EX TIT. DE NAT. FEVD.

& EX TIT. DE FEV. DA. MIL. VAL.

**F**ilij secundum usum regni in beneficium paternum vocantur. hoc dicimus de capitaneis & maioribus & minoribus valvasoribus; De minimis autem valvasoribus sic obseruatur, Ut si minores valvafiores beneficium tollere voluerint minimis, hoc licet eis. Moderni autem non ita subtiliter discernentes, dicunt idem obseruandum in minimis quod in maioribus valvasoribus dictum est.

EX TIT. DE FRA. DE N.O. BEN. INVEST.

**S**i duo fratres de novo beneficio non paterno simul inuestiti fuerint, uno sine herede defuncto ad alterum non pertinet eius beneficij portio; nisi inuestitura eo pacto sit facta.

EX TIT. DE NA. FEV.

**S**i duo fratres simul inuestiti fuerint de beneficio novo & non paterno, si unus eorum sine descenditibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit non frater; nisi pactum hoc conciliet: sicut & per pactum filiae succederent.

EX TIT. DE VAS. DECREP. ÆT.

**Q**uidam vasallus cum esset decrepitæ ætatis, feudum suum in manu domini ad hoc refutauit,

L iiij

vt Sempronium & Seium filios suos de eodem beneficio inuestiret. Vasallo mortuo Sempronius sine legitimo herede, Seio adhuc superstite decessit. Lis est inter dominum, dicentem feudum tanquam nouum sibi esse delatum, & Seium contendentem esse paternum. Et eorum sententia præualuit, qui dixerunt hoc feudum, quahuis refutatum, nihilominus esse paternum.

## Ex §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**Q**Voddam ylui traditum recordationis causa in scriptis tradere curauit. Si quis igitur habens filium, ipsum à domino inuestiri fecerit, & nominatim cum domino pactus fuerit, vt si filius ante patrem decesserit, quod feudum ad patrem reuertatur, debet filio defuncto ante patrem carere beneficio, & domino beneficium acquiri.

## Ex TIT. DE EO QVI FEC. FIN.

**T**Res erant agnati vel plures; Vnus eorum habebat feudum, quod erat paternum: Sed alter eorum finem & refutationem ei suisque heredibus & cui dederit, fecit; & iste sine filio masculo decessit. Alter qui non refutauit vindicat sibi totum. Alter vero qui refutationem fecit vult venire ad successionem pacto non obstante. Sapientes Mediolani interrogati responderunt, non obstatre, nisi feudum omnino refutauit; vel nisi ad hoc refutauit, vt dominus eum quasi de novo beneficio inuestiret. Tunc enim

Sequuta noua inuestitura, quasi nouum sit feendum,  
non succedet.

## EX TIT. SI DE FEV. CONTR. FVER.

**T**Itius cum Sempronio fratre suo feendum paternum possidente pactum fecit, de eo feudo non petendo ab ipso Sempronio heredibusve suis. Sempronio sine herede masculo defuncto, inter Titium & fratrem Seium de eo feudo quæstio orta est; & responsum est, pactum Titio non obstat.

## EX TIT. DE BENE. FRA.

**S**i quis acquisiuit beneficium, & sine filio masculo mortuus fuerit, & fratrem reliquerit, frater fratri non succedit; sed dominus habet: nisi per inuestituram à domino ordinatum fuerit, vt frater fratri succedat, si sine herede masculo mortuus fuerit, vel nisi emptum fuerit de communib[us] bonis vel vtriusque nomine domino sciente, si & simul steterint, vel in hostem regis acquisierint.

## EX TIT. DE DVO. FRA. DE NO. BEN. INVEST.

**S**i duo fratres in domo communi post mortem patris remanferint, idest simul habitauerint, & unus eorum feendum acquisierit, plerique dicunt ad alium non pertinere, neque viuente eo qui acquisierit, nec post mortem eius. Fructus tamen cōmunitatis erit donec simul habitauerint. Quod si cum equis & armis communib[us] vel pecunia communi sit acquisitum, adhuc

idem dicunt, ne forte inuitus dominus alium quam quem voluerit vassallum acquirat: dum tamen meminerimus id, quod de communi expensum est, alteri pro parte communi esse restituendum.

## Ex tit. DE FEV. MARCH.

**D**E marchia, ducatu vel comitatu, vel aliqua regali dignitate inuestitus per beneficium ab imperatore, ille tantum debet habere. Heres enim non succedit vlo modo, nisi ab imperatore per inuestitutam acquisierit.

## Ex §. I. DE ALIEN. FEV.

**I**N feudo comitatus vel marchie vel aliarum dignitatibus non est successio secundum rationabilem usum. Sed hoc hodie usurpatum est.

## Ex §. DE BEN. FEM.

**D**icitur clericum nullo modo succedere in feudum paternum debere, & si postea hunc habitum post posuerit. Idem in omnibus qui habitum religionis assumunt, ut conuersi. Hi enim nec postea in feudum succedunt, & si quod habent perdunt.

Ex §. QVI CLERICVS. ET §. MVLIER.  
SI DE FEV. CONTRO. FV.

**A**Doptiuus filius in feudum non succedit. Naturales etiam filij, licet postea fiant legitimi, nec soli nec cum alijs ad successionem vocantur.

Ex

## EX TIT. SI DE FEV. CONTR. FVE.

**F**iliij nati ex ea vxore cum qua matrimonium tali conditione contractum est, ne filij ex eo nati patri ab intestato succedant, nec in feudum succidunt, Nam quamvis talis conditio ratione reprobatur, ex usu tamen admittitur.

## EX TIT. DE FILIIS NATIS AD MORGAN.

**Q**uidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit; qui nolens stare in peccato sponsauit eandem, ea lege, ut nec ipsa nec filij eius amplius de bonis patris habeant, quam dixit tempore sponsaliorum: verbi gratia decem libras, vel quantum dicere placuit, quando eam deponsauit. (quod Mediolani dicitur accipere vxorem ad morganaticam; alibi, leg. Salica). Hic filijs ex ea susceptis deceffit. Iste in proprietate non succedunt alijs extantibus, sed nec in feudo etiam alijs non extantibus; quilibet legitimis fint, tamē nullatenus in beneficio succedunt. In proprietate vero succedunt patri prioribus non extantibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus, secundum usum Mediolanensem.

## EX TIT. SI DE FEV. CONTR. FV.

**M**ulier habens beneficium, relictis filijs ex duabus matrimonij decessit, inter quos quæstio feudi vertebarur aliarumque rerum maternarum.

Obtinuit, filios prioris matrimonij tam in feudo quam  
in cæteris esse potiores.

Ex TIT. QVEMADM. FEVD. AD FIL. PERT.

**S**i quis sine filio masculo mortuus fuerit, & reliquerit filiam, non habet beneficium patris; nisi a domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit propter seruitium & amorem patris, non reuocetur ab ullo ex parentibus suis, neque damnetur.

Ex §. ALIENATIO. DE ALIE. FEV.

**N**ec in filiam vassallus poterit feudum confirmare agnatis non consentientibus vel postea ratum non habentibus.

Ex §. SI EPISC. EPICOPVM VEL ABBA.

**E**tiam si quis eo tenore feudum acceperit, ut eius descendentes masculi & feminæ illud habere possint, reliquo masculo ulterius feminæ non admittuntur.

Ex TIT. DE INVEST. QVAM TIT.

**A** Sempronio talem feudi inuestituram Titius accepit, ut ipse haberet heredesque sui legitimi masculi, & his deficientibus feminæ. Porro Titius superstite tantum filia decepsit; ipsa a domino inuestituram accepit, & feendum in dotem dedit, maritoque superstite sine liberis decepsit. Quærebatur si ad mariatum feudi successio pertineat? Responsum est non pertinere.

## EX TIT. DE EO QVI SIBI HERED. SVIS.

**Q**uis sibi vel heredibus masculis, vel, his deficien-  
tibus, feminis, per beneficium inuestitiram feu-  
di accepit, una tantum filia superstite, nullo alio des-  
cendente reliquo, deceſſit; Hæc marito beneficium  
paternum in dotem dedit, & duobus filijs ex eo pro-  
creatis obiit, quorum vnuſ quidem duas filias reliquit.  
alter vero uno filio masculo reliquo deceſſit. De pre-  
dicto itaque feudo ingentem vidimus quæſtionem:  
masculo quidem sibi hoc totum feudum vindicante,  
quia ſolus heres masculus ſit eius qui primo inuestitu-  
ram accepit; Feminis vero totam partem patris ſui de-  
fendentibus, quia ex eo nullus eſtit masculus. Cum  
que inter sapientes ſepe ſuper hac quæſtione ſit diſpu-  
tatum, tandem pro masculo pronuntiatum eſt. Non  
enim patet locus feminæ in feudi ſucceſſione, donec  
masculus ſupererit ex eo qui primus de hoc feudo fuīt  
inuestitus. Nam & illud iudicatum ſcio, ſi ille, qui pro-  
prium feudum ſuum militi pro beneficio dedit, duo-  
bus filijs reliquo deceſſerit, quorum vnuſ reliqua tantum  
filia obiit, alter vero filio masculo ſuperstite defun-  
ctus eſt, quod miles non debet ſuum feudum per fe-  
minam recognoscere, donec masculus ſupererit ex eo  
qui primam inuestitaram fecit. Alij dicunt debere per  
filiam recognoscere.

M ii

## EX §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**I duo fratres inuestituram de beneficio in heredes masculos & feminas acceperint, altero decedente filia relictā, neptem cum patruo ad feūdum venire dicimus; cum vnuſquisque fratrū ſoboli ſuæ bene cōſuluerit. Si enim alter fratrū ſineylla progenie deceſſerit, feūdum nō ad ſuperſtitem, ſed ad dominum perueniet; niſi paſtum de ſucessione cum domino factum fuerit.

## EX TIT. DE DVOB. FRATR. A CAPIT. INVEST.

**D**VO fratres Titius & Seius à quodā capitaneo de nouo beneficio ſimul inuestiti ſunt, eo videlicet tenore, ut quamdiu ipſi vel eorum dēcendentes masculi viuerent, & masculis deficiētibus feminę ſi ſuperereſſent hoc feūdum haberent. Vnus ex his fratribus vna filia relictā altero adhuc viuēte deceſſit. Quāritur cui portio defuncti deferatur: Vtrum filiæ an fratri? Respondi, filię. vnuſquisque enim ſibi ſuisque heredibus proſpexiſſe videtur. Si tamen qui filiam reliquit ſine herede deceſſiſſet, propter tenorem inuestituræ iſertum, eius pars fratri non domino aequifita eſt.

## EX TIT. DE CAPIT. QVI CVR. VEND.

**S**Imiliter ſi quis inuestitus fuerit de feudo ita vt ad feminas tranſiret, & duas filias reliquerit; quarum vna filium habuit, & altera filiam; vtrum poſt mortem

illarum masculus tantum haberet feudum, quæsitum est. secundum Gerardum, tantum masculus. Obertus contra. Et è contrario si illo filios habuerit.

## EX TIT. DE BENEF. FEMI.

**S**i femina habens feudum decesserit, quia feminineū feudum est, etiam sine pacto speciali deficien-  
tibus filiis masculis, ad filias pertinet. Obertus & Ge-  
rardus. Alij vero dicunt; nisi per pactum speciale ad  
eas non pertinere; sicut si datum est masculo: quia si  
ideo quod est feminineū transit in feminas sine pa-  
cto, eadem ratione quia feminineū est debet transire  
in feminineam prolem, etiam masculis extantibus.  
quod falsum est.

## EX TIT. AN MARI. SVCC. Vxo.

**S**i femina habens beneficium moriatur, & filios  
dimiserit. Quidam dicunt, filios non debere suc-  
cedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictū,  
vel inuestiti fuerint; quia secundum usum regni filij  
in beneficium paternum vocantur, non maternum.  
Sed secundum æquitatem dicimus filios debere suc-  
cedere in beneficium matris.

## EX TIT. AN MARIT. SVCC. VXOR.

**S**i femina habens beneficium moriatur, nullomo-  
do succedere maritus in beneficium potest; nisi  
specialiter fuerit inuestitus.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**i maritus de feudo vxoris suæ inuestiatur ea absente, & non nominatim, quasi gerendo negotia vxoris, non valet. Secus si acquisierit feudum ea sciente vel iubente. Si vero uterque simul inuestiatur, pro parte sibi proficiunt, nisi ut iam dicta distinctione acquisierint, factum fuerit. Et dicimus etiam, ut si unus ante alterum sine herede decesserit, quod alterius pars domino acquiratur.

## EX §. I. QVIB. MO. FEVD. AMITTA.

**S**ille, ad quem feudum per successionem iure obuenire debet, consenserit eos inuestiri, ad quos secundum morem vel ordinem rectum non pertinet, nullo modo ad illud repetendum regresum habet.

## EX §. I. DE SUCCESS. FEV.

**N**Vlla ordinatio defuncti in feudo maneat vel valeat.

## EX TIT. DE CAPI. QVI CVR. VEND.

**F**ilius non potest recusare hereditatem patris absq; feudo, propinquus autem recusare potest.

## EX TIT. AN AGNATVS VEL FIL.

**S**i contigerit vassallum sine omni prole decedere, agnatus, ad quem vniuersa vassalli hereditas perti-

net, etiam repudiata hereditate, si feudum paternum fuerit, retinere poterit; nec de debito hereditario aliquid nomine feudi soluere cogitur. Sed in fructibus, ut de ijs debitum soluatur quo tempore deceperit, secundum quod infra dicemus, considerabitur. Vbi vero filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare, sed aut utrumqueretineat, aut utrumque repudiet. Et repudiato eo, si paternum fuerit, ad agnatos pertinebit. Et licet alterum sine altero retinere non possit: agnatis tamen consentientibus, poterit dominus si voluerit, eum quasi de novo beneficio inuestire. Quo facto licebit ei repudiata hereditate feudum tenere, nullo ei onere imminente.

## EX TIT. SI DE FEV. CONTRO. FVER.

**S**I vassallus culpam committat propter quam feudum amittere debeat, neque filius neque descendentes eius ad id feudum vocabuntur, sed agnati qui quarto gradu sunt, dummodo pertineat ad eos.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**V**AFFALLUS habens feudum deliquerit contra dominum. Cui feudum est iudicandum queritur? Agnatum domino litigant. Quidam domino pertinere, quidam agnatis, dicunt. Dicimus autem ad dominum pertinere, donec aliquis masculus ex vassallo delinquentे supereft. Alij vero contra dicunt.

Ex TIT. SI VASSAL. FEV. PRIVE.

**V**Asalli delinquentis feudū, licet quandoque ad agnatum pertineat, filius tamē ad id nullatenus aspirabit; nisi iterum à domino, scilicet gratiam faciente, acquirat. Si non sunt alij ex latere quibus aperiatur, ad eius petitionem admittitur qui quarto gradu sunt remoti ab eo qui acquisiuit, & vsque in infinitum. dum tamen constet, eos ab eo per masculos descendisse.

Ex TIT. QVÆ. FVIT PRI. CAVS. BENEF. MITT.

**S**æpe est quæsitum, vasallo propter iustam causam à feudo cadente vtrum ad dominum an ad successorem eius vassalli pertineat? Sed talis distinctio tam ratione quam moribus est approbata: ut si quidem vassallus ita in dominum peccauerit, quod feudum amittere debeat, non ad proximum, sed ad dominum beneficium reuertatur, ut hanc saltem suæ iniuriæ habeat vltionem. Si vero non in dominum, sed alium grauiter deliquerit, sicut ille qui fratrem suum interficerit, vel aliud crimen quod paricidij appellatione contineatur, commiserit, feudum quod amittit non ad dominum sed ad proximos pertinet. si tamen feudum paternum fuerit. Sic enim sæpe pronuntiatum scio.

Ex

## EX TIT. AN. ILLE QVI INTERF. FRÄ.

**S**i quis fratrem suum interficerit ad hoc ut totam habeat hereditatem, vel aliam feloniam cōmiserit, hominem videlicet tradendo, vt in curia amplius stare non possit, beneficio priuabitur. Quia tamen feloniam erga dominum facta non fuit, ad agnatum proximiorem pertinebit, si paternum fuerit, eadem prorsus obseruando, quo ad ordinem gradus, quæ in legibus continentur. Quum autem ad dominum respicit feloniam, tunc feudum domino aperitur.

## EX §. PRÆTEREA. IN CAPIT. EXTRAORD.

**S**i clericus habeat beneficium non solum personæ sed ecclesiæ datum, post mortem eius ad successorem pertinet.

## EX §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**V**Num quidem satis vſitatū dicimus, quod si aliquis deceperit nullo herede in feudo relicto, ius feudi ad dominum pertinere dicimus. fruges autem extantes, non ad dominum, sed ad filias ipsius vassalli, vel etiam ad uxorem eius pertinent. Et hac ratione creditor eas retinere potest, licet pignus retinere non possit, & cum distinctione imperialium constitutionum.

## EX §. SI VASSAL. IN LEGE CORR.

**S**i vassallus decebat, & contigerit feudum ad dominum reuerti, sic distinguitur, ut si ante Martiū, omnes fructus eius anni ex feudo prouenientes ad dominum pertineant. Si vero post Calendas Martij usque ad Augustum, tunc fructus qui inde percipiuntur ad heredes vassalli pertineant. Si vero post Augustum, omnes fructus anni dominus percipiet. Quidā tamen dicunt, quocunque tempore anni decebat, omnes pendentes ad dominum pertinere.

## EX LEGE CORRADI.

**S**i vassallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum sua pecunia meliorauerit; & contigerit postea vt vassallus sine filio masculo decebat, aut dominus patietur ædificium auferri, aut soluet pretium meliorationis. Idem dico, si seruitutem fundo pretio acquisierit. Alij vero quidam dicunt omnino ad dominum pertinere.

## EX §. I. DE INVEST. DE RE AL. FAC.

**S**i pretio vel dolo aut incuria vassallus rei beneficia-riæ seruitutem imponi patiatur, & beneficium postea ad dominum ex aliqua causa reuertatur, an ex eo præiudicium domino generetur? quæsitum est: & responsum, vt vassallo quidem, donec feendum tenet, obesse possit: domino vero, etiam si per longa tempora seruitus perseuerauerit, non noceat.

## EX §. I. DE INVEST. DE RE ALIE. FAC.

**S**i quid feudo à vassallo adiectum est, siquidem tale est quod per se subsistere possit, id est, ut per se censeatur, ut prædium; id non accedit feudo. Si vero per se non potest subsistere, ut seruitus, plerisque placet feudo accrescere, & sicuti partem feudi disponendam esse. Meliorem namque feudi conditionem facere potest, deteriorem vero sine domini voluntate vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet, facere non potest.

## EX §. I. DE CONTRO. INVEST.

**S**i quis acceperit inuestituram feudi cum omni incremento quod ei obueniet, & ei accreuerit viuente eo à quo accepit, ipsius erit. Sed si ille qui inuestitram fecerit, sine herede decesserit, & feudum reuersum fuerit ad eum à quo tenuerit vel ad alium; quicquid post mortem eius qui dederit accreuerit, ad eum pertinebit ad quem reuersum fuerit.

## T I T. XIII.

## De iudicijs causarum feudalium,

Ex §. II. QVO TEMPORE MILES. IMP. LOTHARIUS.



Ancimus ut nemo miles ejiciatur de possessione sui beneficij, nisi conuicta culpa, quæ sit laudanda periudicium parium suorum.

N ij

## EX TIT. DE LEGE CORRADI.

**L**Ex Corradi de beneficijs quæ dicit: Si inter capitanos controuersia sit, coram rege finiatur; Si autem inter valuaores, coram paribus curiæ, Mediolani non tenetur. Sed talis distinctio ibi obseruatur: quod si inter duos, quicunq; fuerint, de beneficio regali controuersia sit, quorum vterque se à rege inuestitum afferit, tunc causa coram eo decidatur: Cæteræ vero causæ apud pares curiæ.

## EX TIT. APVD QVEM VEL QVOS.

**S**i contentio fuerit de beneficio inter capitaneos, coram imperatore dissiniri debet. Si vero contentio fuerit inter maiores valuaores & minores de beneficio, iudicio patium, vel per iudicem curtis dissiciatur.

## EX TIT. DE LEGE CORR.

**S**i inter pares duos de aliquo beneficio sit controvuersia, quorum vterque suum proprium feudum esse dicat, coram iudice vel arbitro causa finiatur; siue afferat eundem inuestitorem siue diuersos. Sed & vnū & eūdem inuestitorem duo pares producere possunt, qui sine fraude inter eos poterit guarentare.

## EX §. VASSALLVS. DE INVE. IN MARI. FAC.

**I**llud tamen sciendum est, quod si inter duos, qui dixerint se esse vassallos, de feudo dubitatio fuerit,

alter alterum inuitum non potest trahere ad dominum, vel ad eius curiae iudicium. Si vero cum sua curia dominus vocauerit eos; nemini eorum licet illius domini vel curiae examen declinare.

## EX TIT. AN APVD IVDICEM.

**E**X eo quod supra diximus, ut si inter duos de beneficio sit controuersia, coram iudice vel arbitro finiatur, talis sit questio. Quodam sine filio decedere, alius credens beneficium quod ille tenebat domino apertum, ab eo inuestitus est eius beneficij nomine: E contra apparent agnati qui feudum vindicant tanquam paternum; Est quesitum an apud curiam domini vel iudicem sit haec questio ventilanda? Et responsum scio, quia ad dominum quodammodo causa spectare videtur, ad quem inuestitus regressum habebit de cessione, ut coram paribus curiae finiatur. Et licet alter per se non possit alterum trahere ad curiae iudicium, generaliter tamen etiam si inter duos causa fuerit de beneficio curia eos, vocante, non licebit alicui eorum eius curiae iudicium declinare.

## EX TIT. DE INVE. IN MARI. FAC.

**V**Assallus una tatum superstite filia decessit. Ipsa maritum accepit, cui dominus pecunia accepta partem feudi, quod pater puellæ habebat, retenta sibi altera dedit. Nunc quidam agnatus defuncti cum marito agit, dicendo, totum hoc feudum esse paternum & ideo ad se deuolutum. e contrario maritus contendit hanc par-

tem, quam ipse habet, nouum feudum esse, & ideo domino apertum. Quæritur igitur, utrum apud eundem dominum & in eius curia cogatur agnatus defuncti litigare, an apud agnati iudicem vel arbitrum utriusque consensu electum hoc esse debeat. Et mihi & alijs placet potius apud iudicem ordinarium vel arbitrum, quam apud dominum, hoc iudicium fore determinandum.

**E X L. IMPERIALEM. DE PROHIB. FEV. AL.  
I M P. FRIDERICVS.**

**S**i inter duos vassallos de feudo sit controvërsia, dominus sit cognitio, & per eum controvërsia terminetur. Si vero inter dominum & vassallum lis oriatur, per pares curiae à domino sub debito fidelitatis coniuratos terminetur.

**E X T I T. DE CONTRO. FEV. INTER PARES.**

**S**i inter dominum & vassallum de feudo contentio ora fuerit, per pares illius domus, sicut dicit lex Corradi, terminetur. Si tamen pares habet, & si dominus & vassallus consentiant in eligendis paribus, nulla dubitatio est. Si vero dissentiant, quid faciendum sit quæritur? Sed præualuit sententia eorum qui dixerunt, dominum debere eligere prius quem aut quos voluerit; & vassallus similiter faciat, secundum numerum à domino comprobatum. Ille tamen vassallus qui fidelitatem domino non iurauit, domino vel vassallo dissentiente, pro pari non est eligendus.

## EX TIT. DE CONTRO. INT. VASSAL. ET EMPT.

**E**X eo quod scriptum est, si inter dominum & vassallum de feudo quæstio nascatur, quod per pares illius curiæ sit dirimenda, quæsitum est. Si quis dixerit se à quodam episcopo iam defuncto de annua præstatione aut alia qualibet re per feudum inuestitum accepisse, & cum successore eius agat, & ille respondendo neget hunc esse vassallum, utrum per pares illius curiæ sit iudicandum super hac quæstione? Opponit enim vassalus quod dominus negat eum vassallum esse, & ideo in ea curia pares non habet. Domino respondentे quod quidquid inter eos siue de inuestitura, siue de fidelitate, siue de principali caussâ agendum est per suam curiam est expediendum. Sed laudatum scio saepè, pares illius curiæ secundum præfatum modum prius eligendos.

## EX §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**S**I dominus conquestus fuerit coram paribus curiæ, pares auditis rationibus intra anni spatium eum audiē faciant, & expedire domino possessionem vassallo non faciente satisfactionem, saluis suis rationibus; nisi diffinitiuam sententiam promeruerit.

## EX TIT. DE MIL. VASSAL. QVI CONT. EST.

**D**ominus vocat militem qui ab eo feudum possidebat, dicendo eum in culpam incidisse, propter quam feudum amittere debeat. hic non respon-

det. Quid domino faciendum sit queritur? Respondeo, curiam eum vocare debere; & si non venerit iterum eum vocare debere, usque in tertio spatio decem vel septem dierum arbitrio eiusdem curiae terminando. Quod si nec ad tertiam vocationem venerit, hoc ipso feudum amittat. & ideo debet curia dominum in possessionem mittere. Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio. alioquin & beneficium & possessionem perdit.

## EX CAPIT. EXTRAORD.

**I**L lud quoque curiali usu memoriae tradere curauimus, ut si qualisunque controuersia inter dominum & vasallum fuerit, & exinde dominus ad suos milites conquestus fuerit, tunc pares curiam faciant, & ex seipsis legatos primo secundo & tertio suo pari dirigant tribus dilationibus datis, quarum prima quindecim dierum intercapedinem habeat, secunda triginta, tercia quadraginta; & eo non veniente, nec idoneam excusationem faciente, tunc pares dominum possessorem faciant, saluis beneficijs. Par ratione salua profecto ratio intelligatur, si certis excusationibus datis suam contumeliam infra annum purgauerit. Et si quidem veniens se excusare non potuerit, hoc domino laudatione parium emendet, & possessionem beneficij accipiat, & iustitiam prout res exigit domino laudatione parium faciat.

Ex

## EX §. ILLVD. IN CAPIT. EXTRAORD

**S**i de allodio aliaque re extra beneficium inter dominum & vassallum contentio fuerit, tunc pares ad iudicem legis, vel alibi, id est, ad arbitros mittant eos. Sed si de proprio beneficio, sua sententia dirimant. Similiter si dominum offendit, sua sententia dirimant. Si inter duos vassallos, tunc domini cognitio est. & si vassallus spernit ad iudices ire, pares per feudum constringant vassallum, dantes domino beneficij possessionem.

## EX §. SVMMO PERE. IN CAPIT. EXTRAORD.

**S**i contentio fuerit inter dominum & vassallum, ratio vassalli contra dominum prius discutiatur: quasi pares maiorem iurisdictionem de suo pari, quam de suo domino, habeant.

## EX §. I. DE MIL. VAS. QVI CONT. EST.

**S**i vassallus de domino queratur, forsan quia feudum malo ordine intravit; domino perperam respondentem, quid sit à vassallo faciendum queritur? Respondeo. ipse curiam vocare debet & in ea curia de domino conqueri: Curia debet adire dominum, eumque salua reverentia competenter cogere ut possessionem restituat, & acquiescat, vel iudicio curiae se committat. Quod si ter monitus facere distulerit, tunc licet vassallo ad aliam maiorem potestatem ire, & sibi consulere, & si dominus ei iustitiam facere noluerit, potest.

**E X S. I. Q V O T E M P O R E M I L E S.**  
**I M P. L O T H A R I V S.**

**S**i miles dixerit quod sui pares pro odio iniuste iudicassent, miles in possessione maneat per sex hebdomadas, & ad nostram præsentiam deueniat cum illos qui laudamentum atque iudicium fecerint, & nos diffiniemus.

**E X L. L O M B A R. D E B E N E F. C. F I N.**  
**I M P. C O R R A D V S.**

**S**i contentio emerserit inter seniorem & militem, quamuis pares iudicauerint illum suo beneficio carere debere, & ille dixerit hoc iniuste & odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior & ille quem culpat ad nostram præsentiam cum paribus veniat, & ibi causa iusta determinetur. Si autem pares in iudicio seniori defecerint, ille qui culpatur suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore & paribus ad nostram præsentiam veniat. Senior vero aut miles qui culpatur, qui ad nos venire debuerit, sex hebdomadas ante quam iter accipiat, ei cum quo litigauerit innotescat. Hæc autem de maioribus valueris obseruentur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante seniores, aut ante nostrum missum eorum causa finiatur.

## EX TIT. DE PACE TEN. IMP. FRIDERICVS.

**S**i duo homines pro vno beneficio contendunt, & vnus super eodem beneficio inuestitorem producit, illius testimonium, cum inuestitor donum inuestitur recognoscit, comes primo recipiat. Et si idem probare poterit idoneis testibus quod absque rapina hoc idem beneficium habuerit, remota controuerſia materia illud obtineat. Quod si de rapina ipso iudice praefente conuictus fuerit, rapinam dupliciter soluat: beneficio vero carebit: nisi iudicio & iustitia dictante illud in posterum reacquirat.

## EX TIT. DE PACE TEN. IMP. FRIDER.

**S**i tres vel plures contendunt de eodem beneficio, producētes utriusque diuersos inuestidores, iudex in cuius præsentia causa ventilatur requirat à duobus boni testimonij hominibus in prouincia eorundem litigatorum commorantibus per sacramentum quod iurauerit, quis illorum absque rapina eius beneficij possessor extitit, & cognita ex ipsorum testimonio veritate, possessor beneficium suum quiete obtineat; nisi iudicio & iustitia dictante alter de manu sua illud eripiat.

## EX LEGE CORRADI.

**S**i inter pares duos de beneficio sit controuerſia, cum vnum producunt inuestitorem, si possidenti dominus guarentare voluerit sine fraude, ipse obtinet O ij

## EX TIT. DE CONTRO. INVE.

**S**i controuersia inter dominum & fidelem de feudi inuestitura fuerit, quid iuris sit videamus. Et si vassallus non fuerit in possessione, & inuestitura facta fuerit coram paribus curiæ, aut in breui testato, recte cum qui inuestitus est cogitur dominus mittere in feudi possessionem. Si autem supradictis modis non poterit probare, tunc illius erit defensio, qui inuestituram fecisse dicetur. Si vero aliquod feudum quis habuerit de quo nulla controuersia est, & dixerit se inuestituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit, nec prædictis rationibus probare potest, licet domini defensio esset ex ordine, tamen quia aliunde vassallus est, remittitur domino ex æquitate defensio. Si vero fuerit in possessione, & mota ei controuersia à domino fuerit, tunc ei defensio [per sacramentum] propter possessionem detur.

## Ex §. SACRAMENTVM. DE CONSVE. REC. FEV.

**S**i inter dominum & vasallum controuersia sit de beneficio, domino possidente, & vassallo in probatione deficiente, qui conuenit nullo præstito iuramento absoluatur. Vassallo vero possidente, & actore in probatione deficiente, si longa sit vassalli possessio, eius sacramento causa finiatur. Vbi vero noua est eius possessio, sacramentum non præstabitur, sed domino deferetur, nisi aliud pro possidente faciat.

## Ex §. SVMMO PERE. IN CAP. EXTRAORD.

**C**Vm controuersia inter dominum & vassallum erit, per antiquitatem vel per breue testatum vel per testes domino probatio incumbit. alioquin per vassallum veritas inquiratur.

## Ex TIT. SI DE INVEST. INT. DO. ET VAS.

**S**i inter dominum & vassallum de inuestitione cōtentio oriatur, domino scilicet negante se fecisse inuestitionem, si testibus res probari non possit, professoris sacramento res decidatur. & in eorum successoribus idē obseruatur. Si vero testes interfuerint, & vassallus eos ad testimonium vocauerit, eorum testimonio cum sacramento credatur. Testes vero sint pares eius, & qui ab eodem domino feudum teneant. Qui si tempore inuestitionis absfuerint, etiam extranei sunt recipiendi. Et si testes præstito sacramento se non interfuerint, domini sacramento quæstio finiatur. Hæc omnia etiam in clericorum personis locum habent; præterquam quod de personis testium dictum est. In clericorum enim feudo æqualiter pares & extranei recipiendi sunt.

## Ex TIT. DE CONTEN. INT. DO. ET VAS.

**S**i quis miles in possessione sui beneficij fuerit, & dominus inuestituram negauerit, miles affirmet per iuriurandum si potuerit, quod beneficium suum sit per inuestituram domini. Et si dominus possideat,

& miles sic dixerit quod inuestitus fuerit à domino suo, & dominus negauerit , adhibeantur pares illius domini, & per illos veritas inueniatur. Et si pares non fuerint, veritas inueniatur per dominum. quia non est bonum vt veritas denegetur.

Ex §. i. Q V I D S I T I N V E S T.

& Ex §. i. DE C O N S V E . R E C . F E V .

**S**i inuestitura ab eo qui vassallos non habet facta dicatur, tunc per quoslibet idoneos tamē testes, seu per publicum instrumentū probare poterit: aut inopia probationum emergente , res per iuslurandum deciderit. Quod autem dictum est, vt per pares inuestitura probetur, dictum est de eo domino qui alios vassallos habet. ceterum extranei sufficient.

Ex TIT. DE C O N T E N . I N T . D O . E T V A S .

**S**i fuerit contentio inter dominum & vassallum seu fidelem de inuestitura feudi , dirimatur per pares curtis. Alij enim testes, et si idonei sint, admittendi nō sunt. Inopia tamen probationum per religionem clientuli possessoris feudi , vel cum duodecim sacramentalibus secundum quosdam dirimatur. Ceterum si dominus possidet , per suum iuslurandum cum duodecim sacramentalibus dirimatur. [ Hoc ita nisi clientulus actor domini vel gastaldus fuerit.]

EX TIT. SI DE INVEST. INT. DO. ET VAS.  
& EX TIT. DE NOTIS FEV.

**S**i quis se vel patrē suum ab aliquo vel à patre eius de feudo inuestitum fuisse contendat, nisi per patres duos de domo ipsius domini probauerit quod intendit, vel alios duos idoneos testes, tunc in electione domini sit vtrum velit iurare cum duodecim sacramentalibus illum vel patrem eius, si de hoc queritur, de ipso feudo inuestitum non fuisse. Quod si iurare noluerit, actor iuret cum duodecim sacramentalibus se vel patrem suum inuestitum fuisse. Quod si iurare noluerit, qui conuenit est absoluendus. Secundum enim morem Mediolanensium hæc sacramenta sunt præstanta tam à filijs actoris vel rei, quam à principilibus personis. Si qua autem inuestitura facta esse dicetur, semper debet vassallus dominum nominare à quo facta esse dicetur.

EX TIT. SI DE INVEST. INT. DO. ET VAS.

**S**i aliquis est in possessione feudi de quo dominus dicit eum inuestitum non fuisse, tunc sine villa testium probarione debet vassallus solus iurare, se vel patrem suum inuestitum fuisse. Hæc autem ita tenenda sunt, si per annum sciente domino & non contradicente in possessione feudi permanserit: alioquin iusta ignorantia, vel parui temporis negligentia cum iniuste possessionis periurio quandoque domino possessionis dominum afferret.

## Ex §. I. QVID SIT INVEST.

**S**i domino adhuc in possessione constituto, an facta sit inuestitura queratur, non debet probari nisi per pares illius domus vel per publicum instrumentum à tribus vel duobus paribus confirmatum. Nam si instrumentum defuerit, vel quia factum non fuerit vel amissum sit, tunc qui probare desiderat, pares illius curie qui interfuerunt, offerat: qui si negauerint, corrupti forte odio vel gratia vel præmio, & dixerint se non interfuisse cum inuestitura fieret, vel non reminisci, tunc domino cogente iurent sacrosanctis scripturis tactis quod huiusmodi rei veritatem nesciant; & tunc actör vel alios producat pares, vel iurisurandi electio domino detur, ut proinde iuret inuestituram factam non esse, aut sacramentum vassallo referat, & ille aut iuret aut acquiescat. Quod si pares aliqua ex causa iurare recusent, nec dominus eos iurare compellat, licet vassallo etiam per extraneos inuestituram probare. Testibus vero deficientibus iurisurandi electio domino detur. Si vero vassallus quidem possideat, vel si feudum cameræ vel caneuae duabus vel tribus quietis acceptationibus quasi possideat, dominus autem feudum esse negans rem suam petat, vel quod de camera vel caneua, bis vel ter iam solutū est, sicut diximus deinceps soluere renuat, tunc non est opus probatione. Sed possidenti data electione, aut iuret suum esse regnum feudum, aut si recusauerit, domino referat iuriandum.

Ex

## Ex §. I. DE NOTIS FEVD.

**N**O tandem est quod de omni contiouersia quæ inter dominum & vassallum oritur, si pares veritatem nouerint, omnino debent cogi à domino & patibus dicere veritatem. Quod si dicant se nescire, cum sciant, & vassallus postulet, dominus coget eos iurare & dicere veritatem.

## Ex §. I. SI DE INVEST. IN. DO. ET VAS.

**S**i testes veritatem forte celare voluerint, amore forte vel præmio vel alia qualibet causa, à comite vel à populo iurare compellantur, quod ex ea causa falsitatem non dicant, nec vera se scientibus tacebunt. his autem eos non cogentibus, vassalus cum misso domini ad Imperatorem ire festinet; & quod Imperator inter eos iudicauerit, hoc obseruetur. Si autem se venturum, vel nuntium missurum vassalus promittat, tunc ex quo promisit usque ad annum quiete possideat. Si vero ad regem non ierit, nec miserit intra annum, sacramento domini causa finiatur.

## Ex TIT. SI DE FEV. VASSAL. INTERPEL. FVERIT.

**N**egotium tale est. Quidam vassalus à domino suo feudum tenebat, de quo feudo ab alio interpellatus fuit, & sic dominum vocauit ut eum defendaret: domino renuente ad iudicem venire, vas-

vassallus per sententiam causam amisit. Nunc vero vassallus cambium feudi à domino petit: ad quem dominus respondens sic ait: illum numquam ab eo hoc feudum tenuisse, nec ab eo inuestituram accepisse. Contra quem vassallus dicit, hoc feudum tenuisse, & inuestituram ab eo recepisse, & ab eo petuisse ut in iudicio defenderet eum, nec tunc temporis inficiabatur illius esse; quod totum vassallus testibus probat. super negocio isto quod litteris insinuasti tale est sapientum nostræ ciuitatis consilium, videlicet Oberti de Orto & Gerardi Cagapisti: vt si dominus neget vassallum hoc feudum tanquam ab eo tenuisse, vel ab eo domino ipsum vassallum vel eius antecessores nunquam tenuisse vel inuestituram accepisse, & hoc vel per instrumentum publice confectum vel per pares curtis vassallus probare poterit, dominus ad restitutionem feudi teneatur. Alioquin dominus sacramentum subire compellatur, istum qui in causa est, vel eius antecessores numquam à se vel à suis antecessoribus hoc feudum tenuisse vel inuestitum accepisse. quo facto dominus absoluendus erit.

## EX TIT. AN REMO. DEDE.

**E**x facto quesitum scio. Si inter dominum & fidem de inuestitura feudi facta contentio emergerit, quia dominus eam factam esse neget; si vassallus afferat eos testes, qui tempore quidem inuestiture pares erant, sed postea qualibet ex causa pares esse desierunt, an ideo sunt renomendi quia nunc non sunt pa-

res? Sed quamuis alij aliud sentiant, mihi tamen & quibusdam alijs videtur sufficere eos saltem tempore inuestituræ pares fuisse. Quid enim peccauit, qui inuestituram accepit, si illi quos idoneos eo tempore adhibuit postea pares esse desierint?

## Ex §. I. DE CONTRO. INVESTI.

**C**Vm dixerit quis feudum ad se per successionem pertinere, asserendo illud esse paternum, si in possessione medietatis vel alicuius partis fuerit, vel cambium proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel alijs iustis rationibus illud esse paternum probari poterit, iure obtinebit.

## Ex TIT. DE GRA. SVCCES. IN FEV.

**S**I dominus vel alius beneficium defuncti nouunt esse dicat, illius autem agnatus proximus paternū contendat, tunc onus probationis incumbit illi qui nouum dicit. Sed aliter scio pronuntiatum esse. Bonus tamen iudex causa cognita diligenter intuebitur cuius iureiurando hæc quæstio, utroque scilicet in probatione deficiente, sit potius dirimenda.

## Ex TIT. DE CONTEN. INTER ME. ET DO.

**S**I contentio fuerit inter me & dominum de portio-ne feudi fratri mei defuncti, dicendo paternum esse, ille vero minime; tanquam habuerim partem meā, siue possideo sine alienani, dabitur mihi iuriandum, scilicet patrem meum iure inuestitum fuisse, licet non possideam portionem fratri mei. Si vero nullam par-

tem illius feudi habuero, nec mihi nec domino dabitur ius iurandum, nisi propter supradictam rationem domino: non ut ego propter hoc aliud feudum meū amittam.

## EX TIT. DE INVE. IN MARI FACTA.

**P**lacet agnatum non semper esse cogendum docere hoc feudum esse paternum; sed ab aduersa parte nouum esse probandum: qua deficiente in probatione, tunc agnato causa cognita detur electio, quantum vel iuret esse paternum, vel alteri parti referat ius iurandum; & ille aut iuret aut taceat.

## EX TIT. DE CONTEN. INT. DO. ET VASS.

**S**i fuerit controuersia inter dominum & vassallum seu fidelem de inuestitura feudi, & clientulus sit castaldus vel actor domini, tunc nisi dominus habeat pares testes idoneos, qui dicant rem esse proprium domini, & non in feudum datam, suę tantum, id est domini religioni statur, non vassalli; Nam aliquando multa bona dominis hoc modo auferunt. Idem dicendum est de guardia.

## EX §. I. DE FEV. GVARDIÆ.

**S**i castaldi aliquid nomine proprij feudi possederint, non valebunt propterea possessionem sibi defendere, nisi poterunt per pares curtis vel breue testatum, probare se antequam castaldi essent, vel postquam esse desierint, inuestituram accepisse.

sub pretextu pecunia, sed amore & honore domini perquendum est.

## EX TIT. QVI CVRIAM VENDIDIT.

**F**undum datum lege comissoria non valet, ut si ad certum tempus pecunia non soluatur, in feudum habeat. Gerardus. Sed secundum Obertum valet.

## EX §. I. QVID SIT INVEST.

**A**liquando etiam tenor aliquis praeter communem feudi rationem, veluti quod vassallus diebus festiuis ad ecclesiam cum uxore domini vadat. & pactum speciale contra feudi consuetudinem, veluti de filiarum successione in inuestitura intercedit.

## EX TIT. DE FRA. DE NO. BENEF. INV.

**E**tiam potest inuestitura de feudo nouo & non paterno fieri, eo pacto ut uno fratum similiter inuestitorum sine herede defuncto, eius portio pertineat ad alterum.

## EX TIT. DE GRAD. SVCCES. IN FEVD.

& EX §. I. DE NAT. SVCCES. FEVD.

**B**eneficium hoc autem paternum dicimus, si fuerit illius parentis qui fuit illius agnationis communis, vel quicunque ex superioribus id acquisivit.

C

tempus pecuniam offerendo pignus liberare voluisset, filius militis contendebat patrem suum à domino suo defuncto de prædicto pignore feudi inuestitione accepisse. Vnde viri prudentes Mediolanenses interrogati laudauerunt, in electione filij militis esse cum duodecim sacramentalibus iurare patrem suum, vel se à domino suo post inuestitutam defuncto per inuestitutam terram prædictam tenuisse; ita ut per triginta annos contestatio pignoris à parte domini aduersus ipsum vel patrem suum facta non fuisset. Si autem ipse iurare noluerit, filius domini defuncti necesse habet iurare cum duodecim sacramentalibus defunctum militem per feudum inuestitum non fuisse. Quod si ita iurare recusauerit, inuestire ipsum militis filium de iam dicta terra per feudum debet.

## Ex §. I. DE CONS VET. REC. F E V.

**S**i aliquis probauerit se aliquid nomine beneficij aliquo tempore tenuisse præsente & non contradicente domino, & seruitum eius quasi à vassallo recipiente, licet non probet inuestitutam, tamen obtinebit præstito iuramento, nisi aliud contra inducatur.

## Ex §. VASALLVS. SI DE F E V. CONT. SIT.

**S**i quis per triginta annos rem aliquam ut feudum possedit, & seruitum domino exhibuit, quamuis de ea re nunquam sit inuestitus, præscriptione tamen triginta annorum tueri se potest.

## Ex §. SVMMO PERE. IN CAPIT. EXTRAORD.

**S**i qua contentio de beneficio inter aliquos, prout fieri solet, orta fuerit, siue dominus vel loco domini habeatur, & alter vassallus vel loco vassalli habeatur, si per pares secundum usum regni iudicium ventiletur, primo de suo recto beneficio inuestiri debet.

## Ex TIT. DE ALIEN. FEV. PATER.

**S**i inter dominum & vassallum de beneficio fuerit controuersia, coram paribus finitur. Sed si vassallus dicit prius de suo recto feudo se debere à domino inuestiri, siquidem sine controuersia sit de alio vassallus indubitanter primo erit inuestiēdus, & postea cognoscendum quod sit rectum feudum & quod non. Sed si nihil ab eo pro feudo tenet, nisi de quo controuersia est, tunc causa ventilanda est, & sic videndum utrum postea de eo sit inuestiendus.

## Ex §. I. DE CONTRO. INT. EPISC. ET VASS.

**S**i dicat vassallus quod prius de suo recto feudo debet inuestiri, quam ab aliquo iudicari, ad officium parium eligendorum spectat, ut prius illum de suo recto feudo inuestiri faciant; sed fidelitatis iusurandum differatur, donec de principali causa cognoscatur, ex eo enim apparebit utrum iurare debeat an non quod totum expedit questionis est. Sed si constiterit vassallum, praeter id de quo queritur, aliquid ab eodem domino tenere pro feudo, tunc quin debeat de suo

## EX §. I. DE NOTIS FEVDOR.

**Q**uod autem pares tantum debeant interesse inuestituræ feudi, & non alij, hoc tunc verum est, cum dominus alios vassallos habet. alioquin adhibeat dominus quos meliores poterit; liberos tamen argumento legis Lombardæ, quæ dicit. Si quis donationem facere voluerit de rebus suis alicui, vel inuestituram facere, adhibeat de compagensisibus, vel alijs qui eadem lege viuunt, qua ipse, testes idoneos duos vel tres: pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Et si illos habere non potuerit, tunc de alijs quales sibi meliores inuenierit. Idcirco autem Pares sunt necessarij in instrumento inuestituræ, & non alij, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, alijs testibus inductis; corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia; quæ non sunt in Paribus suspicanda.

## EX §. SVMMOPERE. IN CAP. EXTRAORD.

**D**e ingressu curiæ à quibusdam varia & diuersa putantur. Nos autem quod saepius ac rationabiliter in multis curijs & ciuitatibus intellectimus, in scriptis bona recordationis inserere curauimus. Qui cunque igitur beneficium per inuestituram acquisierit sine traditione possessionis, Pares ad inuestituram habeat, ut per ipsos veritas discernatur, cum controuersia inde fuerit, sane si possidet alijs quibuscumque adminiculis adiuuabitur. Veruntamen quia multi milites inopes vassalli sunt, per testes vel breue te-

statum satis competens probatio esse dignoscitur.

ET TIT. SI DE INVEST. IMT. DO. ET VAS.

IN Clericorum feudo æqualiter recipiuntur Pares & extranei. Hoc ideo, quia clerici quando de feudo inuestiunt, absconde, & sine presentia suorum fratrum hoc facere student.

EX TIT. QVI TESTES SINT NECESS.

Sive Clericus, sive laicus sit dominus, ad probandum nouam inuestitaram, semper Pares curtis sunt necessarij. Et si sine eis facta fuerit inuestitura, etiam si dominus confiteatur factam, quia tamen si ne hac solennitate facta est, non valet: etiam si probari possit per breue testatum. Sed alij cōtra testātur, vt si dominus confiteatur factam, decurrens ad solennitatem consuetudinis, non audiatur. Sed tale habetur, ac si Pares assuissēt. Sed alij, vt Obertus & Gerardus, dicunt, etiam si probari possit per breue testatum, nisi à Paribus sit confirmatum. Consules tamen Mediolani nuper quibusdam contra rescripsérunt; & consentiunt vt breue testatum, non à Paribus, sed ab alijs confirmatum, sufficiat ad probandam nouam inuestitaram. De veteri autem inuestitura etiam extranei recipiuntur ad testimonia, præter feminas, secundum usum Mediolani. Istæ enim neque in causis feudorum nec aliorum recipiuntur ad testimonium. Ceteri vero recipiuntur in omnibus, quæ ad causas feudorum pertinent præterquam de noua inuestitura.

## T I T. VI.

# De acquisitione feudi per inuestitaram.

Ex §. I. IN QVIB. REB. POSS. ESSE FEVD.

**S**ciendum est, neminem feudum seu beneficium acquirere posse, nisi in uestitura aut successione.

Ex §. SVMMOPERE. IN CAP.  
EXTRAORD.

**B**eneficium de veteri & nouo intelligitur. Cum de veteri sit inuestitura, satis sit si denuo feudum fiat. Si autem de nouo inuestitura fiat, nominatim & decerta re fieri oportet.

Ex TIT. QVID SIT INVESTIT.

**I**nuestitura proprie quidem dicitur possessio, abuso autem modo dicitur inuestitura, quando ha-sta, aut aliud quodlibet corporeum porrigitur à domino se inuestitaram facere dicente.

Ex CAP. EXTRAORD.

**B**eneficium intelligitur inuestitura cum traditio-ne, ex quo ita sit, ut si quis primo inuestiatur re-

nondum tradita , ille cui posterior inuestitura cum traditione facta fuerit , potior habeatur.

## Ex §. i. PER QVOS FIAT INVEST.

**S**iue à majori , siue à minori inuestitura fiat , non de omni possessione vassalli , sed de iusta tantum facta intelligitur , nisi aliud nominatim dicatur.

## Ex §. i. DE NOTIS FEVD.

**S**ciendum est non esse impedimento inuestitu-  
ræ , et si dominus inuestituram faciat de re quam  
cum alio communem habet ; quia si ille cum quo  
rem communem habet , sponte diuidere noluerit ,  
potest ille qui inuestitus est eum per iudicem coge-  
re , ut diuidat , vt adæquatio percurrat usque ad qua-  
draginta annos .

## Ex TIT. DE CONSVENT. REC. FEVDI.

**S**ciendum est itaque feudum acquiri inuestituri ,  
vel eo quod habeatur pro inuestitura , vt ecce , si  
dominus dixerit alicui coram Paribus curiæ , VADE  
IN POSSESSIONEM FEVDI ILLIVS , ET TE-  
NEAS IPSVM PRO FEVDO . Licet enim non  
intercessit inuestitura , tamen tale est ac si intercessis-  
set : quia ille voluntate eius possessionem eius feudi ,  
nomine feudi nactus est .

## EX TIT. DE CONSVENT. REC. FEV.

**S**Acramentum non semper dandum est possidente. Sed quandoque possidente, quandoque petenti, quandoque neutri. Et cum alicui horum datur, ita demum datur, si quod pro eo sit quod iudicem moueat. Vbi vero nihil est quod faciat pro aliquo eorum praeter solam possessionem, tunc secundum quod iudici melius visum fuerit, aut possidente dabitur sacramentum; aut auctore non probante, is qui conuenitur, et si nihil praestiterit, optineat. Et cum datur, aut datur a iudice, aut a parte. Si a parte, aut subeat cum duodecim sacramentalibus iuramentum secundum inferiorem distinctionem, aut referat pars cui delatum est. Si a iudice, iuret ille cui delatum est cum duodecim vassallis vel cum sex parentibus; Ceteros vero si vult habeat extraneos. Dominus vero, si vult, cum parentibus, vel cum vassallis solis, vel cum extraneis mixtis parentibus vel vassallis.

## EX §. I. DE NOTIS FEVD.

**S**Instrumentum dicetur a domino falsum, datur defensio vassallo qui affert instrumentum, ut in Lombarda continetur; & aufertur domino qui veritatem nouit. quod erit iniquum, si aliquis ex dono suo conuenitur, cum domini est defensio ex ordine, cum vassallus non possideat.

## EX §. I. DE NOTIS FEVD.

**C**Vm datur domino defensio de inuestitura quæ dicitur a se facta, iurare debet se inuestituram no-

fecisse. Cum vero datur successor eius, iurare debet seno credere in uestituram ab antecessore suo factam esse; cum multum discrepet sacramentum heredis à sacramento principalis. De conscientia enim sua iurare debet, & non de alieno facto: cum ini uum sit aliquem iurare de facto alieno, heres vel successor vel etiam filius. Sed contrarium reperitur in Lombardis; quia licet filius minorem virtutem habeat, quam pater; tamen filius debet iurare præcise, patrem suum non fuisse debitorem.

## Ex §. SACRAMENTVM. DE CONSVE. REC. FEV.

**I**VRABIT semper vassallus sine mentione conscientiae. Dominus quoque de suo facto similiter. de facto vero patris vel aui vel alterius ascendentis in iamento conscientia proponetur. Quidam tamen dicunt conscientiam quidem non esse apponendam.

## Ex §. SAGRAMENTVM. DE CONSVE. REG. FEV.

**I**N quibusdam etiam causis sacramentum calumniæ à domino non exigitur, quod nuper rex Fridericus in Roncalia constituit. Constituit enim ut vassallus sacramentum calumniæ à domino non exigat. Quod etiam à parte domini intelligendum est; ut quod quisque iuris in alterum statuerit, ipse eodem iure vñatur.





**R**atia diuina auxiliante expletus fuit  
 hic libellus feudorum per me Bartho-  
 lomaeum de Baraterijs de Placentia,  
 iuris utriusque doctorem, novo ordi-  
 ne ad faciliorem intelligentiam sti-  
 dentium transformatus ex antiquo libello per Oper-  
 tum de Orto iurisconsultum Mediolanensem tem-  
 pore Friderici secundi Imperatoris composito. In quo  
 non solum omnes suos textus de materia feudali lo-  
 quentes, qui per omnes libellos habentur, sed & alios  
 quosdam, qui in quibusdam libellis habentur, & in qui-  
 busdam non inueniuntur: præcipue illos, qui de ex-  
 traordinarijs capitulois insignantur; quos solum in uno  
 libello feudorum antiquissimo vidi, & leges quas-  
 dam feudales Corradi Imperatoris ex libro legis Lom-  
 bardæ sumptas, ne quid antiquitatis deperiret, fideli-  
 ter adiunxi. loca quoque unde partes singulæ huius  
 libelli sumantur assignauit. Milefimo quadringente-  
 simo quatragesimo secundo. tempore pontificatus  
 sanctissimi domini domini Eugenij Papæ quarti, &  
 principatus serenissimi domini domini Friderici tertij  
 regis Romanorum.





I H C X P C.

DVX MEDOLANI PAPIÆ ANGLERIÆ;  
COMES AC GENVÆ DOMINVS,


VENERABILIBVS ET SAPIENTIBVS  
dilectis nostris Rectori & Priori Collegio ac  
Vniuersitati Iuristarum nostri felicis  
studij Papiensis.

 Ompilationem quandam fecit nobis & sapiens Doctor D. Bartholomaeus de Baraterijs de libello seu dorum, qui satis incomposite editus prius & compilatus dicebatur; quam nomini nostro dedicatam & ad nos missam videri & examinari diligenter per aliquos doctos & probatos doctores fecimus. & quia relatum est nobis per praedictos eā esse utiliter factam, eo maxime quod habeat situacionem capitulorum sub conuenientioribus titulis, & titulos ipsos pauciores, ad materiamque melius applicatos quam prior compilatio habeat; quæ res studiis præstat minus difficultatis in studendo,

Et facilitatis recordationis materiam studiosis, de-  
 creuimus eam Universitati illi nostra mittere, ut res  
 muliū profutura studentibus, et laudis tantiū alla-  
 tur a doctori qui illā edidit, ut ad cetera laude digna  
 opera facilius animetur, non abdita in bibliothecis  
 lateat, sed in apertum prolatā ad communem vi-  
 litatem quamplurimis prodeesse possit. Ipsum igitur  
 libellum, qui ad nos delatus est, vobis ea lege mitti-  
 mus, ut copia eius habita per eos qui habere volue-  
 rint, eum ad nos remittatis. Glossas quoque, prout  
 huius operis nouitas exigere videtur, ut idem D.  
 Bartholomaeus componat, eum bortati sumus; quas  
 cum perfecerit omnibus habere volentibus nostra  
 intentionis est similiter exhiberi. Data Mediolani,  
 tercio Kalendas Nouembris. 1442.



## INDEX



# INDEX.

## A

	Bdicatū feu-	Arimandiæ.	14
	dum.	38 Arma deponere.	78.
	Abiaticus.	Assalire.	33.34
	39.80	Assaltus.	35
	Abſconſe.	21 Aurum optimum.	80

Acceptabilis.	45	B	
Actor.	110.116	Bannitus.	44
Adequatio in diuisione.	23	Beneficium.	7.22. Beneficiū
Adoptiuſ.	88	nouum,	vetus. 12.13. 85.115
Ad hoc.	85.97	Beneficium diuifum indiui-	
Alamania.	45	sum.	49.50
Alienatio feudi.	52	Beneficium regale.	14
Alienatio generalis.	66	Beneficiaria res.	98
Allodium.	68.105.122	Bonit estimonij hom.	107
Angariæ.	15.18.77	Bona vacantia.	15
pro Anima iudicare.	55	C	

Annona.	16	Cagapiftus.	114
Annus & dies.	49	Calumna sacramentum.	125
Anſelmuſ Oberti. F.	31	Cambium.	68 69.114.115
Anteceſſores.	114	Campeſtre bellum.	33.34
Antiquitas	109	Caneua.	15
Apertum beneficium.	69.71.	Capitaneus.	11.18.52.73.67.
97.102		100	
Arbitri.	105	Capitanei regis.	74
Argutariae.	15	Capitanei regni.	11.12

R

# INDEX.

<i>In capillo.</i>	36	<i>Credentia.</i>	26
<i>Captio.</i>	35	<i>Cucurbitare.</i>	33. 36
<i>Cassamus.</i>	65	<i>Curia.</i>	105
<i>Castaldus.</i>	116	<i>Curiam vendere.</i>	67
<i>Castaldia.</i>	75	<i>Curiam facere.</i>	47
<i>Castrum domini.</i>	33. 117	<i>Curiæ maiores.</i>	18
<i>Censeatur perse.</i>	99	<i>Curtis.</i>	121
<i>Clamare.</i>	46	<i>Curtem vendere.</i>	67
<i>Clericus</i>	88		<b>D</b>
<i>Clericorum feudum.</i>	21	<i>Decania.</i>	17. 18. 76
<i>Clientulus.</i>	52. 60	<i>Ducatus.</i>	11. 14. 65
<i>Collatio ad felicē regalis nū-</i> <i>minis expeditionem.</i>	15	<i>Depraedari.</i>	106
<i>Collusio libelli.</i>	64	<i>Dominicum.</i>	10
<i>Comes.</i>	107	<i>Dominus plebis.</i>	9
<i>Comitatus.</i>	11. 61	<i>Dominus maior.</i>	40
<i>Commissoria lex.</i>	17	<i>Digesta.</i>	31
<i>Compagenses.</i>	20	<i>Districtum.</i>	55. 68
<i>Comparēs.</i>	45	<i>Dimestire.</i>	68
<i>Conditionalia beneficia.</i>	18.	<i>Disfustire.</i>	73
	19. 75.	<i>Dispensator.</i>	10
<i>Consciencia in iure-iurando.</i>		<i>Diuestiri.</i>	74
	125	<i>Diuestiri feudo.</i>	32
<i>Consobrini.</i>	84	<i>Deierare.</i>	51
<i>Consuetudo optima, bona,</i>			<b>E</b>
<i>prava.</i>	56	<i>Ecclesia.</i>	61
<i>Consulis Mediolani.</i>	21	<i>Electio iurisiurandi.</i>	112
<i>Consultum.</i>	66	<i>Episcopus.</i>	103
<i>Contestatio.</i>	118	<i>Eugenius. P P.</i>	32
<i>Conuersi.</i>	8	<i>Excommunicatus.</i>	844

# INDEX.

<i>Extranei.</i>	21	<b>H</b>	
<i>Extra curtem.</i>	55	<i>Habitus religionis.</i>	78
<i>Ex dono suo conueniri.</i>	124	<i>Hostem facere.</i>	45
<i>Ex ordine.</i>	108	<i>Hostem Romę facere.</i>	74
<i>Exhibere se.</i>	77	<i>Hostenduc̄.</i>	44
<i>Expeditio indicta.</i>	45		
<i>Extimatio.</i>	73	<b>I</b>	
		<i>Imperator excip.</i>	28
<b>F</b>		<i>Imperfectus.</i>	78
<i>Facile.</i>	27	<i>Improprium feudum.</i>	76
<i>Facta in honesta.</i>	33.121	<i>Incolume.</i>	27
<i>Felonia.</i>	38.40.41.97.122	<i>Incrementum feudi.</i>	121
<i>Feminini sexus proles.</i>	82	<i>In curia stare.</i>	38
<i>Feudum femin.</i>	93	<i>Infeudare.</i>	10
<i>Feudum.</i>	7.17	<i>Infeudatus.</i>	49.48
<i>Feudum de camera.</i>	15.55.112	<i>Ingenium malum.</i>	48
<i>Feudum rectum.</i>	119	<i>Ingressus curiae.</i>	20
<i>Festivus dies.</i>	8.17.120	<i>Ingratitudo.</i>	32
<i>Fidelis.</i>	80.81.121	<i>Intrare feudum malo ordine.</i>	
<i>Fidelitas.</i>	7.8	105.	
<i>Fidelitatis iurandae formula</i>		<i>Introiens archiep.</i>	10
<i>26.27.28.</i>		<i>Inuestitura.</i>	12
<i>Fidelitatem facere.</i>	25	<i>Inuestitura per nuncium.</i>	13
<i>Eructus anni.</i>	98	<i>Inuestitura formula.</i>	23
<i>Fruges.</i>	97	<i>Inuestitura proprietati abu-</i>	
		<i>sue.</i>	22
<b>G</b>			
<i>Gagapiftus.</i>	72	<i>Inuestitio.</i>	109
<i>Gastaldia.</i>	8	<i>Inuestitus de plebe.</i>	11
<i>Gastaldus.</i>	110	<i>plebs.</i>	11
<i>Guardia.</i>	8.75.116.117.	<i>Irrationabiliter.</i>	44.52
<i>Guarentare.</i>	100.107	<i>Judex curtis.</i>	100
<i>Guerra.</i>	43.44	<i>Iurare tactis sacr. script.</i>	112

# INDEX.

<i>Iusjurandum.</i>	121.122.124.	<i>Masculus.</i>	91
	125	<i>Masculi &amp; fæminæ.</i>	62
		<i>Meliorare.</i>	98
		<b>L</b>	
<i>Laborare.</i>	34 35	<i>Minor.</i>	29
<i>Laici.</i>	71	<i>Missus domini.</i>	113
<i>Laudatum.</i>	103	<i>Missus Imp.</i>	106
<i>Laudatio curiæ.</i>	75	<i>Miles Dei.</i>	78
<i>Laudatio parium.</i>	29. 46. 104	<i>Moderni.</i>	85.74
		<i>Morganatica</i>	89
<i>Laudamentum parium.</i>	33	<i>Mulier inuestire potest.</i>	12.
<i>Laudamentum.</i>	106		13
<i>Laudanda culpa per pares.</i>			<b>N</b>
	99	<i>Nauum beneficium.</i>	85
<i>Libellario nomine.</i>	52.54.55. 56.	<i>Natura feudi.</i>	73
		<i>Nuntius inuest.</i>	13
<i>Libellum facere.</i>	60		<b>O</b>
<i>Libellarium.</i>	122	<i>Obertus &amp; Gerardus.</i>	17.31.
<i>ad Libellum.</i>	63	123	
<i>Liberi vass.</i>	10	<i>Ordinatio defuncti.</i>	24
<i>Librum ostendere.</i>	47		<b>P</b>
<i>Lombarda lex</i>	20	<i>Palatia</i>	15
<i>Lombardia</i>	45	<i>Palatini.</i>	64
<i>Longobard. leges.</i>	6	<i>Paradegum.</i>	18
<i>Lotharij const.</i>	32	<i>Pares expectandi.</i>	19
<i>Ludere turpiter.</i>	36	<i>Parium iudicium.</i>	79
		<i>Pares.</i>	II3. II9
<i>Mansum.</i>	121	<i>Pares curiæ.</i>	103
<i>Manus amissio.</i>	58.65	<i>Pares domini.</i>	110
<i>Malo ordine.</i>	105	<i>Pares de domo.</i>	III.II2
<i>Marchia.</i>	II.14.65	<i>Pares curtis.</i>	71.121.124

# INDEX.

<i>Parentes cum extraneis.</i>	<i>Rectores Ecclesiarum.</i>	64
124	<i>Rectus usus.</i>	10
<i>Paterno feudum.</i>	<i>Rectus mos vel ordo.</i>	94
<i>Paterno benef.</i>	<i>Recusare hered.</i>	94
<i>Patruelis.</i>	<i>Refutare feudum.</i>	78.85
<i>Periurium iniquæ possessio-</i>	<i>Regalis dignitas.</i>	11.14.88
<i>nis.</i>	<i>Regalia.</i>	14
<i>Plebeij.</i>	<i>Regressus.</i>	101
<i>Pluralis locutio.</i>	<i>Religio clientuli.</i>	110
<i>à Populo iurare compell.</i>	<i>Res extra benef.</i>	105
<i>Possessio noua &amp; longa.</i>	<i>Res soli.</i>	15
<i>Possibile.</i>	<i>Retinere se.</i>	77
<i>Per præceptum tenere.</i>	<i>Ripatica.</i>	14
<i>Præpositus.</i>	<i>Romanæ leges.</i>	6
<i>Præscript. xxx. an.</i>	<i>Roncaliæ.</i>	57.64
<i>Præscriptio.</i>	<i>Roncalia.</i>	47.125.
<i>Præscriptio in feudis.</i>	25	S
<i>Precaria.</i>	<i>Sacramentales.</i>	110.111.118.
<i>Prima causa.</i>	81	124
<i>Principalis caussa.</i>	<i>Salicalege.</i>	89
<i>Principalis &amp; heres.</i>	<i>Sapientes.</i>	8.81.72.86.
<i>Procurator.</i>	14	91.114
<i>Proprium.</i>	<i>Scriba notarius.</i>	65
<i>Prudentes laudauerunt.</i>	<i>Scutiferi.</i>	75
<i>Pugna de feloniam,</i>	<i>Seniores.</i>	57
R	<i>Senior.</i>	106
<i>Rapina.</i>	<i>Seruitium.</i>	8.42.43.118
<i>Rationabilis usus.</i>	<i>Seruus inuestiri potest.</i>	13
<i>Reacquirat.</i>	<i>Seruitutis vindicatio.</i>	24
<i>Recadebat.</i>	<i>Sibi suisque hered.</i>	62.63.92

# INDEX.

<i>Soldata</i>	16. 18. 76	<i>Valuasores.</i>	52. 73
<i>Stare in curia.</i>	92	<i>Valuasores maiores.</i>	12.
<i>Stare in peccato.</i>	89	<i>Valuasini.</i>	11. 8. 4. 85
<i>Synodus sub Vrbano.</i>	9	<i>Varie ex personis causisq.;</i> 43	
<b>T</b>		<i>Vassallus non gratus do.</i>	88
<i>Talis natus.</i>	78	<i>Venerabilis domus.</i>	78
<i>Tenor feudi.</i>	17. 90. 92. 120	<i>Ventilatur.</i>	107
<i>Termonitus.</i>	105	<i>Ventilanda causa.</i>	119
<i>Tertia, quarta Lögobard.</i>	66	<i>Vendicatio rei inuestitae.</i>	24
<i>Testatum breue.</i>	19. 21. 71. 108. 109. 121.	<i>Villicaria.</i>	17. 18. 76
<i>Testes feudorum.</i>	19	<i>Viri Placentini.</i>	69
<i>Teutonia.</i>	45	<i>Vocationes.</i>	104
<i>Thefaurus.</i>	15	<i>Vrbanus PP.</i>	9
<i>Tituli eccles.</i>	9	<i>Vtile.</i>	27
<i>Traditio.</i>	22. 23	<i>Vsus rectus &amp; rationabi-</i>	
<i>Tolonea.</i>	15	<i>lis.</i>	10
<i>Tutum.</i>	27	<i>Vsusrationabilis.</i>	88
<b>V</b>		<i>Vsusverus &amp; iustus.</i>	52.
<i>Valuasor.</i>	11. 12.		

FINIS.

## E M E N D A N D A.

**I**N præf-Barat. p. 1. propterea ego. p. 12. siue antiquitus. p. 16. omni:  
æte p. 19. nominatim. p. 49. indiuisum. p. 51. T i T. xi. p. 56. siue de  
praua queramus. p. 61. auætrix iustitia. p. 64. Fridericus Dei gr. ibid.  
Roncalia. p. 69. nefanda, pag. 70. vietum fore. pag. 89. desponsauit.  
pag. 99. tit. xv. pag. 115. alienauit.

